BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Voglsanger, Ambrosius

Iurisdictio Episcoporum proxime a Deo deducta

Oenipontum 1779

J.can.p. 1104
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10547153-5
VD18 14760649-001

FRANCISCUS PRAEPOSITUS S. SALVATORIS POLLICINGÆ. A. 1744.
AD BIBLIOTHECAM
IBIDEM.

III.

I Can D 1904

JVRISDICTIO EPISCOPORVM

PROXIME

A DEO

DEDVCTA

A P. AMBROSIO M. VOGLSANGER

ORD. SERV. B. V. M. SS. THEOLOGIÆ

ET JVRIS ECCL. LECTORE ORD.

PERMISSV SVPERIORVM.

OENIPONTE,

LITERIS ACADEMICIS WAGNERIANIS.

M. D. CC. LXXIX.

Si justitiæ est, jus cuique suum servare, auferre cui-que sua, justo quomodo poterit convenire? Erras, si ut summam, ita & solam institutam a Deo ve-stram apostolicam potestatem existimas: si hoc sen-tis, dissentis ab eo, qui ait: non est potestas nisi a Deo: proinde quod sequitur: qui potestati re-sistit, Dei ordinationi resistit, etsi principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Denique idem ait: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non ait sublimiori, tanquam in uno, sed sublimioribus, tanquam in multis. Non ergo tua sola potestas a Domino, sunt mediocres, sunt & inferiores. Et quomodo, quos Deus conjunxit, non sunt separandi, sic nec, quos subjunxit, com-parandi. Monstrum facis, si manui submovens digitum facis pendere de capite, superiorem manu, brachio collateralem. Tale est, si in Christi cor-pore membra aliter locas, quam disposuit ipse, qui posuit in Ecclesia, quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangelistas, Pa-stores, & alios Doctores, ad consumationem san-ctorum, in opus ministerii, in ædificationem cor-poris Christi. S. Bernard. L. 3. de Coulideral. ad Eugen. R. P. c. 4. edit. Parisienf.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

PRÆFAMEN

AD

LECTOREM.

Finem petis, Lector benevole! quo permotus leves hasce pagellas orbi obtruderem? Fingas tibi per me, quemcunque velis, dummodo illo abstineas judicio, horsum meam conlimasse opellam, ut ejus sub tegmine me orbi litterato ingererem; quum alium haud sensurim stimulum, quam consuetudine adtractum, vi cujus positionibus, publicæ disquisitioni expositis, quandam dissertationem præfigere obtinuit. Quibus ut & ego quoque deferrem moribus, præsens opusculum, aliunde ad usus confratrum hisce disciplinis incumbentium conscriptum, typis mandari curavi, in quo plures equidem propositiones haud sat perspicue discussas novi, a me tamen eo ineptius discutiendas; quo stu-

diosius in ipsa Juris ecclesiastici synopsi, ab aula Cæsarea præscripta, atque reverendissimi Ordinarii mandato nobis promulgata, prætermissas deprehendo. Quoniam igitur nulla me novandi libido divexat, pari consilio utendum duxi, ipsis sanioris politicæ regulis persuasus, cuivis alicujus societatis membro crimen putari, si illius, cui se sociare placuit, status jura, quamvis fors ambigua, nec tamen nulla, propriis pedibus conculcata velit, sufficienter ab aliis examinanda, quos alia erudit philosophia. Quodsi vero, Lector benevole! vel ideo conatum hunccemeum tuis oculis indignum reputes, me ipso consulente eisdem parces. Vale.

S. E.

SERIES REERVM.

§. I. Explicatur natura jurisdictionis in genere.

§. II. Definitur jurisdictio ecclesiastica.

§. III. Apostolus non prohibet Christianis frequentare fora infidelium, quod ex facto Domini probatur.

§. IV. Dum Episcopi sæcularia judicia exercuerunt, non ambitionis sed charitaris causa factum.

§. V. Nihilominus libere hæc obibant munia, & pari libertate se eorum judiciis subjiciebant laici.

§. VI. Hæc facultas sæcularia judicia exercendi confirmatur ab Imperatoribus, & inter jura Ecclesiæ adventitia reputat Alexander III.

SERIES RERVM.

§. VII. Quæ jura innata ſint jurisdictioni eccleſiaſticæ, oſtenditur.

§. VIII. Proteſtantes negant dari jurisdictionem in Eccleſia.

§. IX. Probatur autem ex Scriptura.

§. X. Imperium Eccleſiæ ex Scriptura ſtabilitum novatores vendicant Principibus.

§. XI. Referuntur ſigna eorum, quibus Chriſtus jurisdictionem ſuæ Eccleſiæ commiſit.

§. XII. Hæc ſigna non reperiuntur in Principibus, ſed in Apoſtolis.

§. XIII. Quod ex eo eruitur, quod Apoſtoli exercuerint illam poteſtatem per hæc ſigna denotatam.

§. XIV. Non ſolum quoad vim ſuadendi & declarandi, ut vult Grotius, ſed etiam quoad vim cogendi.

§. XV. Idipſum traditione continua primorum etiam ſæculorum.

§. XVI. Sicut & authoritate Gregorii nazianz. Oſii Cordub. Ambroſii, Chryſoſtomi, Hieronymi, & Auguſtini comprobatur.

§. XVII. Eadem erat ſententia romanorum Pontificum.

§. XVIII. Ipſorumque hujus ſæculi Principum.

§. XIX. Fruſtra autem contra hoc adſertum Anglo-Brittani in Synagoga Judæorum patrocinium quærunt.

§. XX.

SERIES RERVM.

§. XX. Vendicato Apoſtolis Eccleſiæ regimine, quæſtio proponitur: num per Chriſtum, an per Petrum idem Apoſtolis fuerit conceſſum?

§. XXI. Atque ex Scriptura reſolvitur.

§. XXII. Paulus & Jacobus minor in Epiſcopos non fuerunt a Petro ordinati.

§. XXIII. Vacuum quoque illud videtur argumentum, inde deductum, quod Eccleſia romana ſit matrix Eccleſia.

§. XXIV. Sat convenienter dicitur etiam Judam iſcarioten fuiſſe Epiſcopum.

§. XXV. Probatur autem adſertio potiſſimum ex Joan. 20. v. 20.

§. XXVI. Eccleſia Chriſti eſt perpetuo duratura.

§. XXVII. Deficientibus igitur Apoſtolis in alios debet illorum poteſtas tranſire.

§. XXVIII. Nempe Epiſcopos.

§. XXIX. Uti ex continua primorum ſæculorum Traditione conſtat,

§. XXX. Sicut & Conciliorum definitionibus.

§. XXXI. Plures ex Proteſtantibus hanc poteſtatem in pace Religioſa, vel transactione Paſſavienſi in Principes tranſiiſſe ajunt.

§. XXXII. Alii concedunt Epiſcopis ex favore collegiorum, quo privati denuo ſunt tempore Reformationis: quorum opinatio ex eo rejicitur, quia ſolum per conſecrationem ſacra poteſtas obtineri poteſt,

SERIES RERVM.

§. XXXIII. Quod probatur.

§. XXXIV. Apud Catholicos certum eſt principium, jurisdictionem epiſcopalem ſaltem quoad inſtitutionem eſſe juris divini.

§. XXXV. Quæſtio proponitur in Concilio Tridentino: an non collatio ejusdem proxime fiat per romanum Pontificem?

§. XXXVI. Reſolvitur juxta Apoſtoli.

§. XXXVII. Eccleſiæ Patrum.

§. XXXVIII. Ipſorumque romanorum Pontificum effata,

§. XXXIX. Quæ in alium ſenſum fruſtra exponuntur.

§. XL. Satisfit Bellarimini loco ex Num. II. petito,

§. XLI. Francifci Vargas

§. XLII. Et Zachariæ argumentis ex S. Auguſtino deſumptis,

§. XLIII. Aliique dubio, quæ omnia Apoſtoli ſententiam impugnare videntur.

§. XLIV. Nec contextus contrarium evincit.

§. XLV. Nec Patrum interpretatio,

§. XLVI. Nec mens Eccleſiæ,

§. XLVII. Nec alia ratio.

§. XLVIII. Epiſcopi non accipiunt jurisdictionem a romano Pontifice per electionem, cum hæc non per ipſum fiat.

§. XLIX. Prouti teſtantur primitivæ,

§. L. Et Gallicanæ Eccleſiæ.

§. LI. Imo ipſius patriæ monumenta.
§. LII. Neque per confirmationem romani Pontificis, cum hanc impendere non jure divino ipſi competat.
§ LIII. Prouti denuo omnium Eccleſiarum,
§. LIV. Ipſiusque Patriæ hiſtoria affirmat.
§. LV. Sed omnes ab uno eodemque ſuam jurisdictionem habent.
§. LVI. Jurisdictio igitur Epiſcoporum, quam poſt confirmationem exercent, eſt ſolum delegata, non ordinaria.
§. LVII. Epiſcopi etiam honoris cauſa ſolum conſecrati veram accipiunt jurisdictionem, quod ex paritate cum ordinatione Presbyterorum inſtituta illuſtratur.
§. LVIII. Hæc paritas impugnatur,
§. LIX. Sed fruſtra.
§. LX. Reſpondetur ad Concilium Tridentinum.
§. LXI. Proponitur dubium ex inæqualitate Diœceſium petitum.
§. LXII. Et removetur ex eo, quod æqualis ſit omnium Epiſcoporum jurisdictio teſte Julio I. roman. Pontif. & S. Cypriano.
§. LXIII. Salvo tamen Primatu romani Pontificis, quem Petrus in Apoſtolos exercuit, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi.
§. LXIV. Succeſſio iſta non eſt ſimilitudinaria tantum, ſed vera & propria.

SERIES RERVM.

§. LXV. Quamvis non detur ista succeſſio, quoad omnia Apoſtolorum privilegia.

§. LXVI. Datur tamen circa jurisdictionis authorem.

§. LXVII. Quia alias non daretur vera ſucceſſio, ſed nova haberetur inſtitutio.

JVRISDICTIO EPISCOPORVM A DEO PROXIME DEDVCTA.

§. I.

Jurisdictionem sacratis ecclesiæ præsulibus propriam a Deo proxime deducturus, de natura jurisdictionis primum differere eo aptius constitutum habeo: quo solertius sapientum parens Philosophia notiones rerum evolvere satagit, multiplici certe fœnore exinde comparando inducta; cum ex hac agendi ratione antea humeris jacta fidem, & tenebris obvoluta

suam

ſuam inde lucem mutuare conſueverint. Quæ proin a quovis optimo adorata toties veſtigia lecturus jurisdictionem necdum certis circumſcriptam negotiis conſidero, atque a jure dicundo ita dictam cum JCtis (a) definio: *Quod ſit publica de cæuſis cognoſcendis & juris reddendi poteſtas.* Vel prout aliis (b) eloqui placet: *Poteſtas alicujus authoritatem publicam habentis ſuper alios ad eorum regimen & gubernationem.* Quos dum characteres præferert jurisdictio, eandem ſolum imperiis natam ſceptrisque adſuetam eſſe, propria luce proditur: unde nec arbitris nec collegis jurisdictionem adſerendam eſſe contingit, qui, quamvis de cauſis conlegiorum quodammodo cognoſcere poſſint, illas tamen pro imperio definire nequeunt, inſurgentibus talia in judicia ſociis (*) atque imperii habenas excutientibus, tanquam ori libero injectas peſſime. Vel ipſa proin imperii natura a jurisdictione imbibita perorat, eandem per poteſtatem legislatoriam, judiciariam, atque coercitivam reddi conſpicuam, hisque tribus potentiis tanquam con-

---

(a) Arg. l. 1. ff. h. t. l. 3. C. eod. l. penult. de judic.
(b) Harrprecht inſtit. L. 1. c. 20. Duar. ad tit. ff. de jurisdict. c. 2.

connatis essentiæ viribus constitui, exigentibus id ipsum rerum publicarum commodis, quæ facile dilabuntur, nisi leges in earum bonum latæ ipsas statuminent, fora jus cuique suum vindicent, judicesque, penes quos imperii summa est, in reluctantes atque maleficos condignis pœnis animadvertant.

(*) Inter gentes liberas jurisdictio sine summi imperii vestigio suum exercet dominium; cum lites utriusque partis consensione alterius reipublicæ relinquutur placitis Aricinorum & Ardeatum ad exemplar: *qui multis invicem cladibus fessi, judicem populum romanum cœpere, frustra de ambiguo agro certantes.* Livius L. 3. c. 71.

§. II.

Atque hæc jurisdictionis œconomia est, nullis adhuc constrictæ terminis, atque communibus solum proprietatibus descriptæ; quæ tamen, ubi ecclesiæ negotia disquirit, eo augustior progreditur, quo amplius ejus ex arbitrio vera hominis beatitas dependet, finisque ultimi consecutio habetur, ipso societatis christianæ fundatore ejus oraculis conscientias hominum subjugante, atque decernente, ut ecclesiæ ex judicio probus futuræ gloriæ pignora, scelestus vero admissi

crimi-

criminis gratiam consequatur, (*) quin tamen statutis hisce prærogativis concessæ a Christo potestatis fines immineant, utpote sat largis ulnis se se ad totum exterius insuper ecclesiæ regimen exporrigentes. Unde hoc sub obtutu eandem Joannes Flœrcke definit: (c) *quod potestas sit causas ecclesiasticas controversas cognoscendi atque definiendi.* Causæ proin solum spirituales jurisdictionis ecclesiasticæ frequentant forum, ejusque judicio absolvuntur.

(*) *De propria enim ratione talis muneris est, ut qui ecclesiastica jurisdictione gaudet, vi sui officii pastor animarum sit & gubernator in spiritualibus & magis in his, quæ pertinent ad internum bonum animæ, quam ad externum: a tali ergo munere inseparabilis est hæc jurisdictio.* Suarez. in 3. P. T. 4. disp. 25. sect. 1. n. 9.

§. III.

Apostoli igitur effatum, quo infidelium hostra a fidelibus suorum jurium tenacibus frequentari vetat, (*) non præcepti sed consilii rationem sortitum esse constat, ipso salvatore in testimonium adducto, qui nequidem familiæ erciscundæ arbitrium sumere vo-

(c) Lucæ 12. v. 14.

voluit, dicens: *quis me conſtituit judicem inter vos.* (d) Adeo aliena quippe a ſuo regno mox conſtruendo ſæcularia negotia voluit dominus, ut nec ſupplicantium precibus deferre voluerit, vel umbram ſcilicet a ſæculari jurisdictione emiſſam, fugiendam ratus, atque ita ſuo exemplo conteſtans, claves a ſe concreditas non, niſi ubi regnum cœlorum reſerandum eſt, vim habere atque emolumentum.

(*) Verba Pauli ſunt: *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos & non magis apud ſanctos. An neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis? Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus, quanto magis ſæcularia? ſæcularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. Ad verecundiam veſtram dico, ſi non eſt inter vos ſapiens quisquam qui non poſſit judicare inter fratrem ſuum, ſed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles.* I. ad Cor. 6. v. 1. & ſeqq. Quis vero horum verborum ſit ſenſus, quinam ſint illi *contemptibiles* ab Apoſtolo ad judicandum deputati; quis vero ad mentem Apoſtoli ſit ſapiens, ſat ſolide declarat Van Eſpen I. E. V. P. 3. Tit. 1. c. 1. n. 7. & 12.

§. IV.

(d) Luc. 12. v. 14.

§. IV.

Non tamen ideo ventoſæ ambitionis adflatu, aut propriæ poteſtatis exagerandæ impiis ſtimulis adacti, vel Paulus incitabat Epiſcopos, vel ipſi Epiſcopi hortatu Pauli permovebantur, ut in judicum civilium aut magiſtratuum meſſem ſuas falces immitterent, eloquii dominici haud immemores, ſicut nec legis a chriſtiana charitate dictatæ oblíti; hujus enim facundia perſuaſi moliſſimos captabant aditus, atque opportuna monumenta, quibus facilius in fidelium pectora chriſtianæ pietatis placita inlaberentur, illæque amoris flammæ erumperent, quibus a terrenis ad cœleſtia grata nihilominus violentia raperentur. Longiſſime hinc temporales exulabant cupiditates, nec tantus alio ſuſpirabat labor, quam, ut peccatores a vitiorum deviis revocarentur, juſti vero nova in dies ſingulos augmenta juſtitiæ capeſſerent, jucundo onere preſſi. Unde & de S. Auguſtino teſtatur Poſſidius: *quod compertis rerum opportunitatibus divinæ legis veritatem partes doceret, eamque illis inculcaret, & eos, quo adipiſcerentur vitam æternam, doceret, & admoneret, nihil aliud quærens ab eis, niſi tantum obedientiam & devotionem chri-*

ſtia-

ſtianam, quæ & Deo debetur & hominibus, peccantes coram omnibus arguens, ut cæteri timorem habeant. (e) Multum impari itaque jure audiebat illud tribunal judicis, quo ſchola virtutum, pietatis ſanctuarium, cathedra veritatis. Id genus curia eo confidentius conſulebatur, quo minus æmulorum judicum ſuſpicionibus atque cavillis erat ſubjectum. Imperium hoc equidem ſacerdotale erat, imperii tamen nomine ejusque ſub ſpecie obumbrata ſervitus tritiſſima, quam facilem lætamque non redderet, niſi flagrantiſſimæ charitatis præceptum, atque ultima neceſſitas obſequendi fidelibus omnibus, ſemet ad eos, & cum iis ad ipſas rerum temporalium fæces dejiciendi, illisque proprios pedes in evangelium pacis præparatos conſpurcandi. Unde nec injuria Chryſoſtomo viſum eſt, in eo munere ſuſtinendo, & difficultatis & periculi eſſe plurimum, ut quod & ſentibus undique horreat, tamque difficiles explicatus expoſcat: *Partem enim illam, quam Epiſcopum tractaſſe in judiciis convenit, infinita certe odia, infinitas diſſenſiones parere* ait. (f)

(e) De vita Auguſtini c. 19.
(f) De Sacerdot. L. 3. c. 18.

Quæ tamen singulis obsequendi studium, ore Pauli injunctum eo alacrius contempsit, quo æquius huic potestas & jurisdictio ecclesiastica facta est famula, quin etiam tantis cum impendiis tributaria, utpote a Christo unice in bonum gregis sibi subditi, & ut in ejus tantum favorem exerceatur, concessa.

§. V.

Absit tamen, ut hæc isthuc disputata sint, quasi id oneris nominatim ecclesiæ præsulibus, ejusve ministris impositum foret a consulente solum Apostolo, ne christianis sacris initiati ad alios suas lites referant, quam ad viros in Christi ecclesia ob rerum gerendarum peritiam conspicuos; quæ proin gloria cum & laicis quoque possit esse domestica, eidem officio solos ecclesiæ prælatos adjudicari, nemo facile dixerit, sortis potius cursui tribuendum esse convictus, quod præstituta mox prærogativa Episcopis & Clericis magis putetur familiaris, atque ipsorum etiam laicorum huc tensa conliment vota, ecclesiasticorum potius quam profanorum judicia exposcentium atque judicantium, exoptatam usque adeo

in

in judicibus ſapientiam & integritatem ſacerdotio magis, quam ſæculo eſſe domeſticam. (g) Atque inde repetenda ſunt incunabula, quod propriis laicorum præjudiciis & votis indefinita Apoſtoli propoſitio ad ſolos Epiſcopos & Clericos fuerit relata, incolumi nihiloſecius tum Epiſcopis, tum laicis libertate ſervata: primis quidem, ut ea ſolicitudine ſeſe pro arbitrio exuere poſſent; (*) hisce vero, ut mutuis conventionibus hæc provincia aliis demandaretur, qui eandem ſapientiæ & integritatis gloriam forent adepti. Cardo proin doctrinæ & inſtitutionis Apoſtolicæ circa illud verſari videtur potiſſimum, ut fidelium lites componerentur, pace & innocentia inlibata, ablegatis procul fraudibus, ærisque cupiditatibus, familiæ bene diſpoſitæ adinſtar, in qua Pater ſuorum amantiſſimus jurgia, ſi quæ domi naſcuntur, domi quoque ſopire eo impenſius adlaborat: quo felicius flammarum globus propriis in cunis ſtatim reſtinguitur; ut adeo non tanta ſolicitudine eccleſiaſticorum judicia fidelibus inculcet Apoſtolus, quanta notas virtutes, mu-

(g) Conf. Petrus Soavis Polanus in Hiſt. Conc. Trident. L. 4.

tuæ paci & charitati fovendæ ſtudioſiſſimas, quibuscunque in judicibus relucere optatum habere dignoſcitur.

(*) Privilegio hoc uſus videtur Syneſius Cyrenæus, dum litium aliarum ex aliis proſerpentium ſegetem cum ea mentis ſerenitate jugique ad orandum ſtimulo ſociari poſſe deſperavit: unde Epiſt. 57. ſcribit: *Contemplatio Sacerdoti finis eſt, ſi non falſo id ſibi nomen uſurpet; contemplatio vero & actio nequaquam in unum conveniunt.* Nec tamen ideo eos inſimulatos cupiebat Epiſcopos, quorum in animis ea veritatis ſupernæ lux reſplendeſceret, quæ nulla rerum terrenarum caligine obfuſcari poſſet, idemque contemplationis vigor perſiſteret, quem nullæ negotiorum vel ſolicitudinum temporalium procellæ turbarent; pergit enim: *Nec Epiſcopos damno, qui negotiis diſtinentur. Sed cum noverim, vix me horum alterutrum adſequi poſſe, qui utrumque præſtare poſſint, hos admirari ſoleo. Non eſt id mearum virium, ut duobus dominis ſerviam. Sin aliqui reperiuntur, quibus ne mentis quidem ad inferiora deſcenſus detrimentum adferat, merito illi poſſunt Sacerdotes fieri, & præeſſe civitatibus. Solaris radius, quamvis cœnum contingat, purus nec inquinatus manet; ego, ſi idem fecero, fontibus ac mari opus habeo.* loc. cit. Quoniam vero ſuum ſeceſſus amorem atque ſæcularium curarum faſtidium multis diſplicere adverteret, omnibus gratum, ſibi gratiſſi-

tissimum fore testatur, si alius ejus loco eligeretur Episcopus, causis quoque dirimendis adjecturus animum: *Quoniam autem ob hæc minime placemus vobis, quasi alii sint, qui in utrisque versari possint, consulere vobis licet, quod & civitati & ecclesiis & mihi magis expediat. Seligendus vobis aliquis est, qui sit omnium utilissimus, nostroque in loco eligendus, qui ægre admodum servari soli possumus. Quid exclamastis? Num, quia illud factum nondum est, fieri idcirco nec nunc convenit? Multa, quæ necessaria erant, invenit tempus & emendavit. Non ad exemplum omnia fieri solent.* epist. 105. De Sylvano primæ sanctitatis Episcopo meminit Socrates L. 7. H. E. c. 36 quod civilium judiciorum curas a Clericis fugiendas esse demonstrarit, Clericis suis fori circuitus vigilanti verbo interdicens, quod aliquid luccelli inde conrasissent, totum protinus negotium in spectatissimæ sibi pietatis laicum transferens. Verba Socratis sunt: *Cum Clericos ex litigantium controversiis quæstum facere videret, deinceps neminem ex Clero judicem esse permisit, sed acceptis supplicantium libellis unum ex fidelibus laicis, quem æquo & bono favere pro certo cognosceret, eum causarum cognitioni præfecit.*

§. VI.

Nec alia Constantini M. fuisse videtur persuasio, dum quasi gentium Doctori con-

 sen

ſentiens illam eo conſilio Epiſcopis adſerit poteſtatem, quod judicia ab illis ad arcanas conſcientiæ leges, atque incorruptas æternæ veritatis regulas elimentur, exagitenturque; ex adverſo judice civili humanas ſolum conſtitutiones in concilium advocante, quamvis & has ſæpenumero privatis perverſi animi adfectibus pediſſequas. Unde eidem ſanxiſſe placuit: *Illud eſt enim veritatis authoritate firmatum, quod a ſancto homine conſcientia mentis inlibatæ protulerit. Multa enim, quæ in judicio captioſæ præſcriptionis vincula non patiuntur, inveſtigat & promit ſanctæ religionis authoritas.* (h) Hujus nempe ſub auſpiciis dirimebant, ſi quas diſceptabant lites Apoſtoli, ſub iisdem optabant etiam a ſuis ſucceſſoribus dirimi, atque ita reſplendere ſacri Eccleſiæ tribunalis ſanctimoniam, piamque a ſæculari diſcrepantiam. Nec mirum proin, ducem Conſtantinum, Arcadium, Honorium & Theodoſium ſecutos ſuiſſe, hunc in modum ſua imperia evulgantes: *Epiſcopale judicium ratum ſit omnibus, qui ſe audiri a ſacerdotibus elegerint, eaque illorum judicationi adhibendam eſſe reverentiam jubemus,*

quam

(h) Euſeb. de vit. Conſtant. L. 4. c. 7.

quam vestris deferri necesse est potestatibus, a quibus non licet provocare. Datum idib. Decemb. Basso & Philippo Coss. 408. (i) Quibus ex testimoniis jam suapte natura consectaneum fieri auguror, jurisdictionem ecclesiasticam circa temporalia negotia occupatam, summorum Principum indulgentia & usu potius, quam jure divinitus constituto adcrevisse, ipso Alexandro III. teste, dum anglorum Regi possessionum judicia reliquit, (k) ad Regem, & non ad Ecclesiam talium possessionum judicia pertinere attendens. (l)

§. VII.

Coæva igitur atque innata tunc solum jurisdictione gaudet Ecclesia, quando causas spirituales dirimit, atque fidei & ecclesiasticæ disciplinæ regulas statuit, cum hisce in negotiis sua, quaqua placet, imperia protendat, suaque sceptra omnibus, quos salutaris regenerationis unda suavi Christi jugo subjecit, verenda ostendat, utpote

(i) L. 8. C. de Episc. audient.
(k) cap. *Causam* 7. qui fil. sint leg.
(l) Conf. Van Espen integrum caput 1. loc. cit.

circa discolos etiam minaci virga ipsam adfligente animam compescendos occupatissima. Quo in adparatu num in Christi Ecclesia humilitatis atque mansuetudinis fundamento superinstructa adparere concessum sit, protinus differendi materiam suppeditat.

§. VIII.

Jus determinandi mox præstitutum, non nisi ubi imperium est, reperiri, nemo unus ignorat, qui juris publici adyta vel in ipso saltem, quod ajunt, limine salutarit; ut adeo vel ipse eruditorum Protestantium numerus huc totam ingenii aciem intendat, ut imperium ex societate a Christo fundata proscribat, in qua proin, si ipsis fides est, omnis imperantium & parentium ordo nescitur, quamdiu divinæ institutionis ratio servatur. Totum igitur, quod imperium olet, infausta superbientium pontificiorum proles est, quorum in pectoribus juxta ipsos, nescio quis, dominandi faustus, ceu tot sartaginibus ebullit, flabellante eadem continuo turpi super alios eundi prurigine. Omnium loco Boehmerus perorat, vel ideo, quia fors in vastissima, qua pollet, scientia primus, juxta cujus placi-

ta

ta omnis ſacerdotum in docendo & admonendo conſiſtit gloria. (*) Si vero Moshemii, (m) Pfaffii, (n) Pertſchii (o) ſyſtemata recenſuiſſe juvat, Eccleſiæ haud alia, quam conlegiis æqualibus jura competunt: ut adeo, ſicut hæc non ſeparatam conſtituunt rempublicam, & Eccleſia imperio careat. Proteſtantium ergo ſub auguriis chriſtiana ſocietas non civitas eſt, ſed imperfecta quædam conſociatio, quæ juri naturæ in acceptis referenda æqualitate gaudet, nullis privatis auſibus imminuenda, ea quidem ratione: ut qui ſupremi ducis in Eccleſia munere fungitur, non plus juris ſibi conſciſcat, quam miles gregarius. (p) Unde etiam ſat acri ſtylo in Carpzovium & Gisbertum Voetium, cætera ſacris proteſtantium addictos, Boehmerus invehitur, quod tres continuo in chriſtiano cætu ordines eſſe ex publico ſuggeſtu docere non erubeſant, quorum primum imperantium, ſecundum docentium, tertium vero audientium ordo effingit. (q) Quamvis igitur quoad modum

---

(m) Von dem allgemeinen Kirchenrecht. c. 4.
(n) De Jure ſacrorum abſoluto & collegiali.
(o) Element. Jur. can. t. 1. memb. 3. §. 18.
(p) Puffendorf. de habit. relig ad ſtatum civil. §. 32.
(q) Jus Parochiale ſect. 1. c. 2. §. 36. & ſeqq.

dum discrepent, in hoc tamen omnes unanimes lego, Ecclesiam non instar reipublicæ aut status independentis, sed potius conlegii adinstar esse concipiendam, eodemque cum illo dimetiendam filo, atque æstimandam.

(*) Ne a clar. viri mente abesse videar, ipsa JCti verba propino: *Dari aliquod regimen in Ecclesia concedi potest, sed non civile, verum hujusmodi, quod Doctoribus, quales sunt Sacerdotes competere potest, quod in docendo, non imperando; in admonendo non mandando & jubendo consistit.* Obsevat. select. ad L. 2. de conc. sac. & imp. observat. 1. ad §. 2. & infra §. 3. *Facile limites constituerentur, si cogitaremus, Sacerdotum esse docere, & viam salutis inculcare, non autem imperare, & jurisdictionem exercere, quod est Principis. Hic cogit adhibito imperio externo, Sacerdos permovet, rogat, admonet, docetque. Statim itaque ac Clerici doctrinæ suæ vim externam addunt, & schema politicum in legibus præscribendis, jurisdictione exercenda, aliisque actibus civilibus suscipiendis inducere conantur, limites sui officii transcendunt.* Quod ulterius observat. 2. ad §. 5. ex epist. Abogardi Lugdunensis Archiepiscopi ad Ludovicum Imperatorem comprobare nititur, atque eundem in finem orat. apol. S. Gregorii Naz. adducit, in qua S. P. ita scribit: *Nobis circa occultum, & internum hominem curatio omnis, & studium versatur.* Unde infert: *Hæc cura nullum*

nullum admittit imperium proprie dictum, quale tantum civile est, quod recipit obligationem externam, sicut illud internam tantum.

§. IX.

Multum tamen disparem deprehendo regiminis formam a Christo pro sua Ecclesia institutam, utpote quam vi divinæ institutionis societatem quandam inæqualem (*) esse, seu quod nobis idem sonat, reipublicæ (**) juribus a suo fundatore dotatam esse, sat potenter scriptura persuadet, imperium eidem concessum esse, singulis ferme N. T. paginis promulgans. Aut quem alium nisi civitatis per omnia Christus conceptum habuit, dum ex circumcisione duodecim ad suam Ecclesiam plantandam vocavit, eisdemque Apostolorum nomen imposuit? (r) dum certos fines suæ societati præfixit, eosque ad salutem æternam, regnumque cœlorum ordinavit? (s) dum legem mosaicam circa ritus & judicia abrogavit?

(r) *Elegit duodecim, & Apostolos nominavit.* Luc. 6. v. 13.

(s) *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.* Luc. 22. v. 3

gavit? (t) dum leges fundamentales condidit? (u) dum baptiſmum inſtituit? (w) dum ſumptionem ſui corporis præcepit? (x) dum poteſtatem ligandi & ſolvendi, (y) paſcendi, (z) ex Eccleſia refractarios ejiciendi, (a) docendi & baptizandi transmiſit? (b) His vero in juſtam vocatis trutinam, quis tam emotæ mentis eſſe valeat, ut veram Chriſti Eccleſiam, pro membrorum libertate, atque arbitrion, pactis duntaxat conven-

---

(t) *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* Luc. 16. v. 16.

(u) *Diliges Dominum Deum tuum ... hoc eſt maximum & primum mandatum: ſecundum autem ſimile eſt huic: diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Matth. 22. v. 36.

(w) *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum cælorum.* Joan. 3. v. 5.

(x) *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Joan. 6. v. 54.

(y) *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Matth. 18. v. 18.

(z) *Paſce oves meas.* Joan. 21. v. 15. & 17.

(a) *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Matth. 18. v. 17.

(b) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Matth. 28. v. 19.

ventionibusque regendam & gubernandam esse, adseverare non reformidet; quæ tamen propria, atque societatibus æqualibus consentanea regiminis forma est, (c) a qua quantum Scriptura abhorreat, vel ex ipsis nominibus, quibus Ecclesiam innuit, datur intelligi, dum eandem modo civitatem, domum, aut regnum, modo ovile, aut corpus, modo navem aut exercitum ordinatum adpellat: quæ tamen vocabula quid aliud nisi perfectam hierarchiam indigitant? cui alteri quam inæquali conveniunt societati? Aut quis alius quam reipublicæ status eadem sibi vendicare præsumit? In civitate magistratus, in domo paterfamilias, in regno princeps, in ovili pastor, in corpore caput, in navi gubernator, ac bellidux in exercitu imperium prodit, quidni & rectores idipsum in Ecclesia efficiant, dum leges condunt, transgressores coercent, tranquillitatem spirituum procurant, animarum salutem promovent, totamque communitatem adversus inferni portas tuentur, atque defendunt? Totum jam verbis Apostoli concludo, qui non æquali potestate præditum semet Corinthiis exhibuit, eisdem optionem

(c) Boehmerus jur. publ. P. spec. L. 1. c. 2. §. 7

nem faciens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* (d) & alia in epiſtola: *Hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi.* (e)

(*) Differt talis ſocietas multum ab æquali. In illa receditur a ſtatu naturali, qui inter paciſcentes ſeu ſocios æquales immunis perſiſtit. In illa vinculum ſeu nexus arctius ſtringit propter imperium eidemque conhærens jus cogendi: in hac vero remiſſius vinculum membra conligat, in ſola & ſimplici obligatione conſiſtens. Ibi oritur ordo imperandi & parendi: hic omnis ſubmiſſio exulat. Ibi omnia jura imperii penes unum, vel aliquod concilium figuntur, vel ideo, quia imperantis voluntas tanquam totius reipublicæ propoſitum reſpicitur, teſte Tullio: *Imperans intelligere debet, ſe gerere perſonam civitatis.* L. 1. de off. At vero in ſtatu æquali ſociorum ad arbitrium quibusdam ſolum juribus iisque nonniſi ſociorum benevolentia conceſſis præfertur cæteris.

(**) *Nobis videtur, quod conceptus eſſentialis reipublicæ conſiſtat in perfecta ſubordinatione imperantium & obedientium, in fine communi a ſociis*

(d) I. Cor. 4. v. 21.
(e) II. Cor. 13. v. 10.

a ſociis præfixo, in electione mediorum ad conſequendum finem aptorum, ac demum in imperio, in mediis coactivis, tam reſpectu ſubditorum, quam ipſius finis proportionatis, aliisque juribus, deprœcipue ferendi leges, decidendi cauſas, plectendi pœnis imperio adnexis. Hœc ſi adſint, neſcio profecto, quid ad conſtruendam civitatem ultra deſiderari poſſit. Nam quod aliqui ad ſtatum ejusmodi præterea imperium ſummis Principibus commune requirant, nec non jus vitæ necisque poſtulent, extra orbem verſari videtur. *Dicant hi nobis, quare poteſtas imperii neceſſario jure gladii, vitæ & necis debeat eſſe armata? quidſi Dominus Deus, qui ſolus eſt author vitæ & necis, ſibi ſoli jus gladii reſervaſſet, de cœtero autem imperium aliis mediis compulſoriis armaſſet, & in imperantes cœtera omnia jura, alias majeſtati adnexa tranſtuliſſet, anne defectuoſam fuiſſe rempublicam dicemus? Dicant nobis, quare ſolum jus vitæ & necis poteſtatem imperii conſtituat? Si dicant, quod hoc ſolum ſit medium, quo homines in ſuo officio contineri, & ipſa reſpublica contra injuſtos aggreſſores conſervari valet & debet: replicamus, nequidem hoc ipſum remedium eſſe ſufficiens ad hominum malitiam coercendam. An non dantur homines facinoroſi, fures, raptores, homicidiæ, qui nequidem pœnam mortis timent? Dein ſi ad ſtatum conſervandum neceſſarium eſſe dicamus, omnes profacto reſpublica minores ceſſabunt eſſe reſpublica, quia neceſſario debent ſuccumbere civitatibus*

tibus majoribus, virium præpotentia prævalentibus, hoc ipso, quod efficacibus resistendi mediis destituantur. Suscipit ergo potestas imperii majus & minus, nec consistit in indivisibili. Quare ergo ille non deberet habere potestatem imperii, qui habet jus ferendi leges, dictandi pœnas? .... ejiciendi, proscribendi, & communitate, omnibusque juribus ad cives & membra reipublicæ pertinentibus privandi? Zallwein Princ. I. E. Tom. 4, Q. 1. c. 4. §. 7.

§. X.

Extructum modo imperium sat divitem illico cogitandi, atque disceptandi materiam subgessit, iis cumprimis, quos erga pontificios, ipsorum operibus contrarios, eo acrior invidia urit: quo sacratioribus ex aris hasce flammas succendi gaudent, utpote ex præscripta, ab ipso lumine naturæ debita, erga Principes reverentia ortas. Coæva igitur Principis in quasvis societates, jure civitatis potitas, sideribus coæquarunt jura, ut superna proin sicut & ima fato consimili, etiam in negotiis statum internum concernentibus, Principum venerarentur jussa. Unde malesanis etiam Lutheri sub astris illud emersit principium: *Illius est religio, cujus est regio.* Verum sat modici præstitutam adsertionem ponderis esse,

esse, eo præprimis ex capite datur intelligi, quod ea, quæ divinæ institutioni sua debent incunabula, non ex luxuriantibus hominum geniis, sed divinis potius ex eloquiis sint repetenda, atque firmanda.

§. XI.

Quæ, quum ita sint, uti sunt certissima, limpidissimos Scripturæ, Traditionisque fontes, divinis ex effatis scaturientes accedamus, atque ex illis inconcussæ veritatis præsidia hauriamus, oportet. Sex autem potissimum loquendi modos in sacris paginis legimus, quibus jurisdictionem, aut potestatem ecclesiasticam expressit Dominus: dum nempe claves regni cœlorum tradidit: dum potestatem peccatores ligandi atque solvendi fecit: dum Apostolos, cæterosque discipulos per mundum universum sparsit: dum eosdem in sacerdotii sui communionem admisit: dum hominum peccata Sacerdotum judicio subjecit: dum denique curam suarum ovium injunxit. Ut adeo huc tota controversia recidat, quosnam suis de sequacibus mox dictis imperii signis coruscare voluerit, atque eisdem cæteros inter christianæ religionis socios eminere.

Quodſi hujus ſæculi Principes conſtitutæ poteſtatis hæredes fecerit Chriſtus, Reformatorum merito triumphos canet Eccleſia, alias licet ſpecioſo ſub titulo eo turpius ingloria, quo magis a Chriſti regno aliena.

§. XII.

De primo jam exordium duco, in id unice intentus, ut eo ſolertiori, qua poſſum indagine, cui claves regni cœlorum commiſſæ ſint, inquiram, quo plura id ſcire cujusque intereſt, a quo exoptatiſſimum illarum uſum quondam emendicare cogatur, ex hac mortali vita, ad immarceſcibilem & incontaminatam gloriam tranſiturus. Verum vah ſiniſtram Novatorum ſortem! Easdem nec Pilato, nec Herodi, nec ipſi demum Tiberio Auguſto conceſſas lego, utpote vili piſcatori, unco vitam quærenti, promiſſas, (f) atque poſt reſurrectionem delectis undecim diſcipulis concreditas, (g) qua-

---

(f) *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Matth. 16. v. 19.

(g) *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Joan. 20. v. 23.

quarum potestate refractarios quosque ex sua societate pellerent, (h) pœnitentia cordis vero ductos a peccatorum nexibus dissolverent, atque in libertatem filiorum Dei adsererent. Nec minus funestum eosdem circa immediatam missionem fatum adgravat; infirma enim hujus mundi elegit omnium Dominus, ut confundat fortia, nec Cæsares aut Augustos socios habere placuit, qui non ministrari, sed ministrare in terram descendit, sed stultos & tardos corde ad credendum testes esse voluit in omni Judæa, & Jerusalem, & Tyri, & maritima, & Sidonis. (i) In illos insuper, qui permanserunt eum ipso in tentationibus suis, Sacerdotium, tanquam totius ecclesiasticæ potestatis fundamentum, transtulit. (k) Nec alios suarum ovium pastores constituit, quam il-

 los,

(h) *Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Matth. 18. v. 15.

(i) *Jesus vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare; erant enim piscatores, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. 4. v. 18. & 19.

(k) *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. v. 19.

los, in quos corporis ſui tum veri, tum myſtici poteſtatem transfudit, quibusque evangelicæ doctrinæ prædicationem injunxit. (l)

§. XIII.

Tam ampla jam poteſtate, in bonum Eccleſiæ inreſtricto jure exercenda, dotati Apoſtoli, quid mirum, quod eandem ſuo haud voluerint carere effectu, ſed finem a ſuo authore intentum omnibus, quibus potuerunt, modis promovere ſtuduerint? Quare pro ea, quæ ipſos ſollicitos habebat, cura Eccleſiis præfecerunt Epiſcopos, impertiendo eisdem per impoſitionem manuum plena ſpiritualium charismatum dona: (m) eisdem officium conſtituendi per civitates non Presbyteros modo ſed & Epiſcopos injunxerunt: (n) pro expediendis dubiis,

---

(l) *Euntes docete omnes gentes: — — docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Matth. 28. v. 20.

(m) *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* II. Tim. 1. v. 7.

(n) *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Presbyteros.* ad Tit. I. v. 5.

biis, ſanciendis legibus, decidendis majoris momenti controverſiis ſynodos coegerunt: (o) quandoque ſinguli præcepta ſua authoritate firmarunt: (p) exhortationibus imperia miſcuerunt: (q) variaque præcepta promulgarunt. (r)

§. XIV.

Quoniam vero adlata hucusque teſtimonia Grotius de poteſtate ſuadendi, & declarandi ſolum intelligit, inque ſenſum a proprio genio, non a Spiritu ſancto intentum detorquere non dubitat, (s) unum adhuc ſupereſſe adverto, quod breviter conficiendum adgredior: Apoſtolos nimirum eo regimine fuiſſe præditos, quod ſuo etiam

(o) *Convenerunt Apoſtoli videre de verbo hoc.* Act. 15. v. 6.

(p) *Hoc præcipio, non laudans, quod non in melius, ſed in deterius convenitis.* I. Cor. 11. v. 17. *Cætera, cum venero, diſponam.* Loc. cit. v. ult. *Scitis - quæ, præcepta dederim vobis.* I. Theſſal. 4. v. 2.

(q) *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* ad Tit. 2. v. 15.

(r) *Præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum.* Act. 15. v. 41.

(s) Tract. de imper. ſum. poteſt. circa ſacra.

modo jurisdictione, nec non congruæ coactionis jure gauderet, atque illo sese discolis verendum redderet. Aut quid aliud Apostolorum facta perorant, dum circa fidem naufragantes ejecerunt? (t) dum scelleribus notatos communione privarunt? (u) nec amplius benignos erga quosvis discolos semet exhibuerunt? (w) Quæ si æqua, atque ab imbibitis præjudiciis vacua lance librentur, non nisi veritatis inimicus sit oportet, cui non persuadeant, solis Apostolis ecclesiasticæ potestatis gubernacula esse concessia, eademque haud segniori manu illos pro sui officii munere administrasse, atque direxisse. Ecquis enim reverentiæ, primis fidei magistris ex asse debitæ, usque adeo oblitus sit, ut adfirmare non horreat, quod Apostoli absque potestate legitime conlata, sed frivolis solum manibus adrepta, Ecclesias instituerint, rectores eisdem præfecerint, tot ordinationes promulgarint, tam diris pœnis in peccantes animadverterint,

---

(t) *Ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Sathanæ.* I. Tim. 1. v. 20.

(u) *Ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* I. Cor. 5. v. 2.

(w) *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.* II. Cor. 10. v. 6.

rint, atque regimen Ecclesiæ, ausu non tam temerario quam nefando, sibi adrogarint, insuper habitis, quin imo neglectis sublimioribus potestatibus, hujus mundi Principibus atque præpositis æque a Deo constitutis, imo ipsorummet juxta placita omni obedientia atque subjectione dignissimis, nisi ipse dominantium Dominus, in cujus manu potestas & imperium, eosdem vicaria potestate fungi voluisset, atque societatis a se fundatæ principes pro suo arbitrio ordinasset atque decrevisset?

§. XV.

Ut vero in præsens dicta pleniori in luce conlocentur, atque omnes dubitationis nebulas proprio fulgore dispescant, perpetuam, constantemque Ecclesiæ consuetudinem ut animo reputem, natum fore confido. Illa autem, qua S. Cyprianus ætate vixerat, id moris in Ecclesia inductum fuisse, ut Episcopi subjectorum sibi cœtuum habenas moderarentur, eo propius veritati adcedit: quo minus illud ipsum in dubium vocare Boehmerus præsumit, ipsa videlicet veritate testimonium perhibente, quam posse commoda quadam interpretatione per-

verti etiam felle ſaginatus deſperavit animus. Ut vero S. Doctoris mentem penitius inſpicere liceat, pauca recitemus: *Inde*, quæ Cypriani labia ſunt, *per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eosdem præpoſitos gubernetur.* (x) Hæreſum autem, funeſtiſſimorumque Eccleſiæ ſchismatum rationem redditurus, huc totam cauſam rejicit: *Neque enim aliunde hæreſes ortæ ſunt, aut nata ſunt ſchismata, quam inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur.* (y) Quæ ſicut & alia, quæ ex S. Doctore adduci mererentur teſtimonia, quoniam plus placito lividos Boehmeri perſtrinxere oculos, cuncta Epiſcoporum ambitioni tribuit, ejus impio folle effectum lamentans, quod gliſcens in Epiſcoporum præcordiis dominandi adpetitus tandem in apertum incendium ipſis merito lacrimis reſtinguendum eruperit, omniaque jura tum conlegiis tum majeſtatibus propria perjuris flammis depaſtus ſit. (z) Verum, quam adpoſite ſcribit Ci-

(x) Epiſt. 33. (y) Epiſt. 55.
(z) Obſervat. ſelect. ad Petri de Marca L. 1. c. 3. obſerv. 5. §. 7. & Jus paroch. ſect. 1. c. 2. §. 37. & ſeqq.

Cicero: *Livor excæcat mentes hominum.* (a) Dum, quod vir cætera eruditiſſimus perverſis Cypriani impingit ſæculis, illis multo antiquius, imo ipſis naſcentis Eccleſiæ cunis coævum eſſe Clemens, Ignatius, Irenæus, & Tertullianus uno ore teſtantur. (*) Quid enim præcipuis hisce primi & ſecundi ſæculi Eccleſiæ Patribus frequentius, quidve ſolennius, quam obediendum eſſe Eccleſiæ præpoſitis: illis nos ſubditos eſſe oportere: nil ſine Epiſcopi licentia audendum eſſe: nec niſi de præſidentium manibus Chriſti ſacra roganda eſſe atque percipienda? Quæ quidem ſi in Cypriani epiſtolis, etiam Boehmero adſurgente Epiſcoporum imperium & jurisdictionem celebrant, cur idem in antiquioribus monumentis præſtare non valeant, necdum habeo. Tantum igitur abeſt, ut Cypriani temporibus ex orci caligine caput exerens ambitio ſacros Eccleſiæ Præſules imperio dotarit, utpote quod Sacerdotum chorus ſemper tenuit: neque iniquitas vendicavit, quod Chriſtus inſtituit, atque veneranda antiquitas ſemper certum habuit.

(a) L. 2. de offic.

(*) Clemens R, in illa celeberrima ad Corinthios epiſtola, etiam juxta eruditos ab omni amariori criſi libera, eosdem laudat, *quod in Dei legitimis ambulaſſent, ſubditi præpoſitis ſuis.* Quorum ſub nomine Epiſcopos veniſſe, illorum temporum uſus perſuadet. Unde & Ignatius M. Epiſt. ad Trallianos, poſtquam præpoſitis, ut ipſi Chriſto, obedientiam exhibendam commendaſſet, ſubjungit: *Quid enim eſt aliud Epiſcopus, quam is, qui omni principatu & imperio, ſuperior eſt!* Et epiſt. ad Magneſ. *Hortor, ut hoc veſtrum ſit ſtudium, in Dei concordia omnia agere, Epiſcopo præſidente Dei loco.* Ad Polycarpum vero ſcribens eundem monet, ut ſuam in omnibus poteſtatem oſtendat: *Quare nihil ſine tua ſententia fiat.* Irenæus L. 4. adverſ. hæreſ. c. 43. ita ſuam mentem declarat: *Eis, qui in Eccleſia Presbyteri ſunt, obedire oportet.* Presbyterorum vero vocabulum primi & ſecundi ordinis ſacerdotibus illo ævo commune fuiſſe Natal. Alexand. Hiſt. Eccl. Sæc. IV. diſſert. 44. Rupprecht ad Tit. de M. & O. q. dogm. n. 55. ſat ſolide evincunt. SS. PP. effata inſuper ſuo calculo Tertullianus L. de coron. milit. roborat, mores chriſtianorum ita perſcribens: *Nec de aliorum manibus, quam præſidentium Euchariſtiam ſummimus.* Unde conſtat, quod jam Tertulliani temporibus illi conventibus præſederint, quorum manibus ſynaxes diſtribuebantur, quod tamen, ſolum

abſente

absente Episcopo, Presbyteri vel Diaconi officium fuit. Rupprecht loc. cit. n. 60.

§. XVI.

Hisce nonnisi cum reverentia terendis, christianus orbis ut insisteret, vestigiis, illud de duplici principatu propositum usque adeo solemne habuit, ut & subcrescens eidem adsurrexerit fidelium parens Ecclesia. Elegantissime hoc in argumento versatur Gregorius Nazianz. (b) de cujus oratione inter litteratos dubium hæret, utrum uberius sale christiano condita, an prolixius venustate dictionum & sententiarum exornata sit, in ea magistratibus denuntians: duo velut imperia a Christo in Ecclesia fuisse constituta: unum, quod sublimioribus potestatibus creditum; alterum vero, quod Episcopis commissum. Hoc illi ita dignitate præcedit, ut anima corpori, terrenis cœlestia. Par Gregorio est utraque potestas in imperandi jure, impar in mandatorum dignitate. Illi tranquillitas vitæ, huic animarum salus injuncta; neutrius vero libertas ab altera infringenda. Quare cum in sacrata ecclesiasticæ potestatis atria pedem inferret Constan-

(b) Orat. 17.

ſtantius, eundem non ſolum Amianus Marcellinus, quamvis idolorum cultui addictus; ſed Oſius quoque Cordubenſis Epiſcopus officii ſui admonuit, ita imperii terminos perſcribens, *Tibi Deus imperium commiſit; nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit: & quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & Tu cave, ne, quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, &, quæ ſunt Dei, Deo. Neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neque Tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes imperator.* (c) Pari fundamento nitebatur Ambroſius, de fide cum Auxentio in conſiſtorio Principis verba facere dedignatus, atque hunc in modum juſtitiam cauſæ defendens: *Nec quisquam contumacem me judicare debet, hoc cum adſeram, quod A. M. pater tuus non ſolum ſermone reſpondit, ſed & legibus ſanxit. — — Certe, ſi vel ſeriem ſcripturarum divinarum, vel vetera tempora retractemus; quis eſt, qui abnuat, in cauſa fidei, in cauſa inquam fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare? — — Si*

con-

(c) apud Athanaſ. epiſt. ad ſolit. vit. agent.

conferendum de fide, ſacerdotum debet eſſe iſta collatio. (d) Quum porro Maximus tyrannus cæſo Gratiano Gallias occupaſſet, Romæque jamjam, totique Italiæ victor immineret, Juſtina Principis nomine juſſa dedit, ut Arianis ab Ambroſio ipſorum reſtituerentur baſilicæ. Verum iisdem armis impotenti fœminæ, Principis nomine extrema minitanti, Ambroſius reſtitit, oratione habita ita utriusque poteſtatis officia discernens: *Nec mihi fas eſt tradere, nec Tibi accipere, Imperator! expedit. — — — Adlegatur Imperatori licere omnia, ipſius eſſe univerſa. Reſpondeo: Noli Te gravare, Imperator! ut putes, Te in ea, quæ divina ſunt imperiale aliquod jus habere: noli te extollere; ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Eſt ſcriptum: quæ Dei, Deo; quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatores palatia pertinent; ad ſacerdotem Eccleſiæ: publicorum Tibi jus mœnium conceſſum eſt, non ſacrorum.* (e) Nec aliud Chryſoſtomi lego hac ſuper re judicium, qui ideo Eccleſiæ vincula contemni vetat, *quia ipſe Dominus Epiſcopis hanc ligandi poteſtatem contulit, atque ad tanti hono-*

tis

(d) L. 5. epiſt. 35.
(e) Epiſt. 20. Marcell. n. 16.

vis faſtigium elevavit. (f) Unde & alio in loco ſumma Principum imperia cum adminiſtratione rerum ſacrarum ita confert, ut duo principatuum genera eſſe decernat, quorum unum celebrat Apoſtolus; ſublimioribus poteſtatibus omnium animas ſubdi præcipiens: altero vero, præpoſitis obediendum eſſe, perſuadens. De utriusque palma autem ita diſcurrit: *Iſte autem principatus civili tanto melior eſt, quantum terra cœlum, imo & multo magis: & non multa illi cura eſt de ſæculari vita, omnia autem de cœleſtibus rebus pronuntiat.* (g) Hieronymus vero ſuam ſententiam ita eloquitur: *In toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret.* (h) Unum addo Auguſtinum, ad præſens propoſitum cæteris opportunius diſcurrentem: *Corripiantur a præpoſitis ſuis ſubditi fratres, correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diverſitate diverſis, vel minoribus, vel amplioribus; quia & ipſa,*

(f) Hom. 4. in epiſt. ad Hæbr. relat. a Gratiano XI. q. 3. cap. *Nemo.*
(g) Hom. 15. in epiſt. II. ad Cor.
(h) In comment. c. 1, epiſt. ad Tit, Epiſt. 85, ad Evagr.

ipſa, quæ damnatio nominatur, quam facit epiſcopale judicium, qua pœna in Eccleſia nulla major eſt, poteſt, ſi Deus voluerit, in correptionem ſaluberrimam cedere; atque proficere. (i)

§. XVII.

Sanctorum PP. effata, SS. Pontificum teſtimonia excipiunt, Gelaſii inprimis, hunc in modum Anaſtaſium Imperatorem compellat: *Duo ſunt, Imperator Auguſte! quibus principaliter mundus hic regitur; authoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tanto gravius pondus eſt Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in divino reddituri ſunt examine rationem. Noſti enim, Fili clementiſſime! quod, licet præſideas humano generi dignitate, rerum tamen præſulibus divinarum devotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis, inque ſumendis cœleſtibus ſacramentis eisque, ut competit, diſponendis ſubdi Te debere dignoſcis religionis ordine potius, quam præeſſe. Noſti itaque inter hæc ex illorum Te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* (k) (*) Eidem

(i) L. de correpț. & grat. c. 15. relat. a Gratian. XXIV. q. 3. cap. *Corripiantur.*

(k) Epiſt. ad Anaſt. Imper. apud Harduin. Tom. 4. Conc. col. 1182.

dem Auguſto ob Accacii cauſam ſeipſum a communione fidelium reſecanti Symmachus utriusque poteſtatis diſcrimen ſuo in apologetico propoſuit: *Conferamus autem*, ſcribit Pontifex, *honorem Imperatoris cum honore Pontificis: inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iſte divinarum. Tu, Imperator! a Pontifice baptiſmum accipis, Sacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas, poſtremo Tu humana adminiſtras, ille Tibi divina diſpenſat. Itaque, ut non dicam, ſuperior, certe æqualis honor eſt.* (l) Et infra: *Fortaſſis dicturus es, ſcriptum eſſe: omni poteſtati nos ſubditos eſſe oportere: nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas erigunt voluntates: cæterum ſi omnis poteſtas a Deo eſt, magis ergo, quæ rebus eſt præſtituta divinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in Te. Cæterum ſi Tu Deo non deferas, non potes uti ejus privilegio, cujus jura contemnis.* (m) Et quid mirum? Gelaſium & Symmahum tantas dixiſſe ſententias, cum jam Felix III. regulæ adinſtar Zenoni perſcripſerit, in cauſis Dei hujus mundi Principi-

(l) Symmachus epiſt. ad Eundem loc. cit. col. 1184.
(m) loc. cit.

cipibus ſolam obſequendi gloriam eſſe relictam. Verba Pontificis ſunt: *Certum eſt, hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, ut, cum de cauſis Dei agitur, juxta ipſius conſtitutum regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non præferre; & ſacroſancta per eorum præſules diſcere potius, quam docere; Eccleſiæ formam ſequi, non huic humanitus ſequenda jura præfigere; neque ejus ſanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ devotionis colla ſubmittere, ne, dum menſura cæleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam diſponentis.* (n) Felici per omnia Gregorius II. conſentit. Poſtquam enim Leoni Iſaurico unam jam inſcripſiſſet epiſtolam, in qua Imperatoribus lege divina ab eccleſiaſticis abſtinendum eſſe monuit, fruſtrato effectu alteram adjunxit, in illa idem argumentum dignis tanto viro ſententiis inculcans: *Non ſunt Imperatorum dogmata, ſed Pontificum: militarem, & quem ineptum habes ſenſum & craſſum, in ſpiritualibus dogmatum adminiſtrationibus habere non potes. Ecce Tibi palatii & imperii ſcribo diſcrimen, Imperatorum & Pontificum: agnoſce illud, & ſalvare, nec contentioſus eſto. — — Quemadmodum Pon-*

 tifex

(n) Epiſt. ad Zenon. apud Harduin. Tom. 4. Conc.

tifex introſpiciendi in palatia poteſtatem non habet, ac dignitates regias deferendi; ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in clero peragendi, neque conſecrandi, vel ſymbola Sacramentorum adminiſtrandi, ſed neque participandi absque opera Sacerdotis; ſed unusquisque noſtrum, in qua vocatione vocatus eſt a Deo, in ea maneat. (o) Pari conſilio Lotharium juniorem Auſtraſiæ Regem ab inſanis Valdradæ amoribus revocare Nicolaus I. ſtuduit, dum eidem, ſat acribus pro officio verbis, poteſtatis a Domino commiſſæ jura expoſuit: *Cæterum præcave, nequando nos ſecundum Domini præceptum duos aut tres teſtes adhibeamus, imo vero, ne hoc Eccleſiæ ſanctæ dicamus, &, quod non optamus, fias cunctis ſicut ethnicus & publicanus.* (p) Baſilium vero Eccleſiæ jura in cauſa Photii invadentem, ſequentibus coercebat Stephanus V. aliis IV.: *Licet ipſius Chriſti Imperatoris ſimilitudinem geras in terris, rerum tamen humanarum & civilium tantum curam gerere debes, quod etiam precamur, ut ad multos annos præſtare valeas. Quo igitur pacto a Deo largitus es nobis terrenis rebus præeſſe; ita*

(o) Epiſt. 2. ad Leonem apud Baron. tom. 9. ad ann. 726.

(p) Epiſt. 51. Nicol. ad Lothar. Tom. 8. Conc.

ita etiam nos per principem Petrum ſpiritualibus rebus Deus præfecit. Accipe, quæſo Te! benigna fronte, quæ ſequuntur: Datum eſt Tibi curare, ut tyrannorum impietatem & feritatem gladio potentiæ concidas, ut juſtitiam miniſtres ſubditis tuis, ut leges condas, ut terra marique militares copias diſponas: hæc eſt præcipua cura potentiæ & principatus tui; gregis vero cura nobis commiſſa eſt, tanto præſtantior, quantum diſtant a cœlo ea, quæ in terris ſunt. (q) A ſuis prædeceſſoribus prolixius dicta, duobus quaſi verbis complexus eſt Leo IV. dicens: *Sicut Reges præſunt in cauſis ſæculi; ita Sacerdotes in cauſis Dei.* (r) Merito proin infero, quod ſicut Regum eſt, in rebus politicis, per vim determinandi, tranquillitatem reipublicæ procurare; ita etiam Eccleſiæ præſulum ſit, in cauſis Dei per eadem media finem ſibi præfixum omnimodis promovere, atque intendere. Quoniam vero media ejusmodi vis determinandi imperio propria conſtituit, Eccleſiæ quoque talia competere non niſi malevolus inficias ibit.

(q) Epiſt. 1. Steph V. ad Baſil. Tom. 9. Conc.
(r) Apnd Gratianum II, q. 7. cap. *nos ſi incompetenter.*

(*) Hunc Gelaſii locum Carolus & Ludovicus Galliæ Reges in capitularia Regum Francorum retulerunt, ita quidem, ut ad rationem legis publicæ elevaretur. L. 5. capit. c. 319. Unde ejusdem authoritati haud leve pondus adjicitur.

§. XVIII.

Verum, ne Cicerones, ſolum pro domo ſua perorantes, in teſtimonium adduxiſſe videar, ipſorum Cæſarum ſtatuta ſubjungam, eo fortius pro rei veritate pugnatura: quo fuerint a propriæ utilitatis ſtudio remotiora. Facem cæteris, ſicut fidei ita & veritatis, Cunſtantinus præfert, hisce verbis Nicænos Patres adlocutus: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & nobis dati eſtis Dii: conveniens non eſt, ut homo judicet Deos; ſed ille ſolum, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deus judicat.* (s) Pari ratione permotus Valentinianus ſenior ab Hypatiano orientalium Epiſcoporum legato, pro reſtauranda fide a Conſtantio peſſumdata, interpellatus reſpondiſſe legitur: *Sibi, qui unus e laicorum numero eſſet, non licere ſe ejusmodi negotiis immiſce-*

(s) Apud Harduin. Tom. 1. Conc. col. 383.

miſcere. (t) Quæ autem verbo teſtatus fuerat, reſcripto conſtituit, fidei cauſas a Sacerdotibus judicandas eſſe eloquutus. Eandem quoque Valentiniano & Theodoſio Impp. inſediſſe mentem acta epheſinæ ſynodi teſtantur, in qua Imperatoris lecta eſt epiſtola, ad Concilii Patres directa: *Igitur Candidianum præclariſſimum ſacrorum domeſticorum comitem ad ſacram veſtram ſynodum abire juſſimus; ſed ea lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat; nefas eſt enim, ut qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſeſe immiſcere.* (u) Ne vero hucusque adlata teſtimonia ſolum de poteſtate legislativa & judiciaria intelligi contingat, vim quoque cogendi penes Eccleſiam eſſe, ſat clara, quamvis ſingultibus intercepta voce apud Theodoretum fatetur Theodoſius, eccleſiaſticis Ambroſii vinculis conſtrictus: *At Imperator gemens in palatium reverſus eſt, his verbis obtemperans, quippe, qui probe noſſet, quæ Sacerdotum, quæ Imperatorum officia eſſent, —*

(t) Apud Sozom. L. 6. c. 7.
(u) Apud Harduin. in epiſt. ad ſynod. Epheſ. Tom. I. col. 1346.

ingemiſcebat poſtea Imperator, quod Eccleſiæ aditu interdicto, clauſæ eſſent cæli fores: memor enim ſum, inquit, dominicæ vocis: quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. (w) Unum adhuc Juſtinianum commemoro, in novella ſua conſtitutione Joanni prætoriorum præfecto ſua placita propinantem: *Si eccleſiaſticum ſit delictum, egens caſtigatione eccleſiaſtica & multa, Deo amabilis Epiſcopus hoc diſcernat, nihil communicantibus clariſſimis provinciæ judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino ſcire civiles judices: cum oporteat talia eccleſiaſtice examinari, & emendari animas delinquentium per eccleſiaſticam multam, ſecundum ſacras & divinas regulas, quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur leges.* (x) Adductis vero his teſtimoniis, delicatioribus quoque ingeniis ſatisfactum reor, in ipſis Eccleſiæ primordiis fiduciam conlocantibus, ut ex illis argumentum non tam mutuent, quam dolo & arte parent, in primorum videlicet Imperatorum idololatriam atque impietatem rejicientes cauſam; quod nulla illis Chriſti Eccleſiæ dirigendæ cura fuerit demandata; Principibus tamen, ſacris chriſtianorum inunctis, eo ſecurius injun-

(w) Apud Theodoretum L. 5. c. 17.
(x) Novell. LXXXIII.

jungenda : quo certius poteſtate quoque politica foret ſtatuminanda. Quis enim Conſtantinum, utrumque Valentinianum, Theodoſium, Marcianum, Juſtinianum, aliosque, quos ob pagellarum anguſtias ſilentio involvi, paganos futurosque Eccleſiæ hoſtes pronuntiare non horruerit, quos tamen ipſos in divinis omni jurisdictionis exercitio abſtinuiſſe legimus ?

§. XIX.

His necdum contenti Anglo-Britanni, ad Judæorum Synagogam provocant, in ea omnem poteſtatem tum ſacram, tum profanam penes Regem fuiſſe garrientes, atque concludentes: etiam in chriſtiana republica non ſolum, ſi exterioris diſciplinæ articuli, ſed etiam ſi fidei cauſa pertractetur, imperii ſummam competere Principi, ea tamen conditione, ut Epiſcoporum conſilium non reſpuat, prout & Judæorum Naſi magni Synedrii conſiliis uti debuerat. Verum in Judæorum ſacris jure peregrinos dixero, qui eorum Naſi præter belli gerendi, imperiique adminiſtrandi cauſam liberam ſolutamque copiam faciunt. Quin neque in his quidem teſte Joſepho, qui

inter cætera Moſis inſtituta hoc quoque recenſuit: *Ne Rex aliquid ardui ageret, niſi ex Pontificis atque Senatorum ſententia.* (y) Unde etiam in Hebræorum moribus, ſacrificiorum, rerumque ſacrarum in templo adminiſtratio penes ſolos Pontifices erat. (z) Communem tamen & Naſi, & Pontifices jurisdictionem exercebant, quæ vel de ſacris, vel de profanis rebus oriebantur contentiones, quin ullum exinde firmum argumentum erui poſſit; longe enim diſparem, Synagogam inter & Chriſti Eccleſiam, rationem currere inde dignoſcitur, quod in Synagoga per Moſis inſtitutum tum ſacræ tum politicæ fuerit confuſa atque permixta jurisdictio poteſtatis, quæ tamen in eccleſia per diſertum Chriſti oraculum, traditione firmatum, fuit ſejuncta atque diſcreta. Nec ergo de Principe nec de Sacerdote eſt, quod ſperent Anglo Britanni, utriusque dignitatem poteſtatemquen ex judaicis inſtitutis metientes, quæ tamen circa judicia & cæremonias antiquata & cum Synagoga ſepulta fuiſſe, utpote eccleſiæ

per

(y) L. de rationis imperio. c. 10.

(z) *Amarias Sacerdos & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.* II. Paralip. 19. v. 11.

per Chriſtum fundandæ umbras atque figuras, nemo niſi volens ignorat. Quo fit, ut eccleſiaſtici directio imperii illis ſolummodo viris vendicanda vēniat, quos ipſe chriſtianæ ſocietatis Author huic muneri præfecit, quosque Eccleſia errare neſcia, ſuorum inſtar principum ſemper habuit; quorum vero in ſortem nunquam Cæſares vocavit, tranquilitati externæ civium procurandæ pro ſuo officio intentos; verum Apoſtolos, utpote ab ipſo Chriſto Domino tanquam miniſtros & diſpenſatores myſteriorum ſuorum conſtitutos.

§. XX.

Præſtitutis mox argumentis confectum tandem eſſe opinor, nonniſi apoſtolicis manibus eccleſiaſtici, regiminis ſceptra deberi, eo magis, quo certius ſcriptores romanæ Eccleſiæ devotos ad unum omnes conſentientes habeo; circa hoc tamen inter ſe conliſos: num Chriſtus per ſeipſum, an per Petrum vicaria conlatione eadem ipſis conſignare dignatus ſit? pro Chriſti favoribus decertante Bellarmino, (a) aliisque,

(a) L. 4. de rom. Pontif. c. 23.

que, quibus Scripturæ verbis preſſius inſiſtere placuit: pro Petro vero perorante Jacobatio (b) cum non adeo multis, Cephæ poteſtati tam amplos fines decernentibus. Totam denuo controverſiam divinis ex oraculis abſolvendam eſſe, eo levius relinquitur dubium: quo indubitatius totum negotium divina juxta placita confectum ſuiſſe dignoſcitur.

§. XXI.

At vero, ſive miſſionis factæ, ſive conlatæ poteſtatis in ſacris litteris memoria recurrat; ſive, quod humani generis Salvator diſcipulos in participium ſui Sacerdotii, Sacerdos ipſe in æternum, vocaverit, mentio fiat, ſingula capita ipſamet Chriſti dignatione peracta fuiſſe, vel per hoc in aprico ponitur, quod ipſe Dominus, ſive ante paſſionem poteſtatis eccleſiaſticæ fundamenta ponens, ſive poſt reſurrectionem ejusdem exercitium concedens, Petri opellam, abſit, ut adhibuerit, quin etiam communi nec diſcriminata ſorte ad omnes, quos ſibi Apoſtolos ſelegit, dixerit: *Euntes*

(b) L. 10. de conc. art. 7.

tes autem prædicate, dicentes: quia appropinquavit regnum cœlorum. (c) Nec disparem missionis conditionem innuerit, circa hoc hoc negotium ad Patrem conversus: *Sicut me misisti in mundum, ita & ego eos misi in mundum, & pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* (d) Quare etiam, dum suis discipulis potestatem clavium contulit, atque regalis Sacerdotii honores docrevit, non Petri, sed propriis verbis corporis sui tum veri tum mystici, quod est ecclesia pro adglomeratione fidelium sumpta, singulis potestatem fecit, inquiens: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* (e) *Hoc est corpus meum, hoc facite in meam commemorationem.* (f) Unde etiam transiturus ad Patrem, eadem ipsus repetit oracula: *Euntes in mundum universum docete omnes gentes, baptizantes eos.* (g) *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit & dixit: accipite spiritum sanctum,*

quo-

(c) Matth. 10. v. 7.
(d) Joan. 17. v. 19.
(e) Matt. 18. v. 18.
(f) Luc. 22. v. 19.
(g) Matth. 28. v. 19.

quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. (h)

§. XXII.

Non tamen contemnendum de ſacerdotio conlato relinquitur dubium, Joanne de Turrecremata plus cæteris ſapiente, atque adfirmante, ſolum Petrum epiſcopalibus muniis conſecratum a Domino; cæteros vero Apoſtolos Petri manibus ad tanti honoris faſtigium fuiſſe elevatos. (i) Quo in propoſito etiam facile conſentientem habere meruit Bellarminum, geminisque potiſſimum argumentis ſuum, quod ponere placuit, adſertum ſubcollantem. (k) Utrumque autem ex Apoſtolorum factis mutuat, quorum teſtimonio & Paulum & Jacobum Hieroſolymorum Epiſcopum per manus ab Eccleſiæ miniſtris impoſitas, epiſcopali dignitate dotatos fuiſſe conſtat. Quoniam vero Pauli teſtimonium e diametro videtur oppoſitum teſtantis: *Qui videbatur aliquid eſſe, nihil mihi contulerunt;* (l) per dictam

modo

(h) Joan. 20. v. 21.
(i) L. 2. de Eccl. c. 32.
(k) L. 1. de R. P. c. 23.
(l) ad Gal. 2. v. 6.

modo manuum impositionem non Episcopatus ordinem, sed ad particulares provincias missionem fuisse designatam persuasum habeo, eo magis: quo aptius ad propositum Eusebius, de Jacobi ordinatione verba faciens, ex Clementis narratione græco verbo ελεται utitur, (m) quod idem ac *eligere* indigitat, ita ut sensus prodeat: Jacobum ad Hierosolymitanam diœcesin regendam specialiter fuisse electum atque designatum; sicut & Paulum ad prædicandam illis provinciis fidem catholicam, quas in Apostolorum actis recensitas legimus. (n)

§. XXIII.

Nec plus præsidii in illo argumento reperiri autumo, vi cujus romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matrix unanimi veterum suffragio veneranda adseritur. Quis enim hoc ex fonte Apostolorum, cæterorumque, quos christianus orbis agnoscit, Episcoporum ordinationes, Petri favoribus in acceptis referendas esse, deducet, animo reputans, ex eo solum majorem, quam

Iræ-

(m) L. 2. hist. c. 1.
(n) a cap. 13. ad 15. v. 37.

Irænæus insinuat, principalitatem, non vero monarchicam regiminis formam concludi? (o) Nec mea isthæc est adsertio, quam toties in SS. Patrum tabulis exaratam deprehendo, quibus illud erat frequentissimum, usuque firmatum, ut illas, quæ Metropoles erant, Ecclesias Matris vocabulo condecorare non dubitarent. (*) Totam igitur matricis Ecclesiæ gloriam in eo reposuisse videtur antiquitas, ut eidem Metropoleos prærogativas adsereret, ea fere ratione, ut, quemadmodum civitas, quæ Metropolis civilis erat uniuscujusque provinciæ, cæterarum quoque ejusdem provinciæ urbium caput existeret: pari honore Episcopus, qui illi præesset civitati, cæterorum in eadem provincia caput, vertexque foret Episcoporum. (p)

(*) In exemplum Tertullianus adduci meretur, qui omnes Ecclesias, ab Apostolis fundatas, matrices prædicat L. de præscript. c. 21. *Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis ecclesiis apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandum, id sine dubio tenendum, quod Ecclesiæ*

(o) L. 3. ad vers hæres. c. 3. de Eccl. rom. fundat.
(p) Thomas. de V. & N. Eccl. discipl. P. 1. L. 1. c. 3. n. 1.

eleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſcepit. Gregorius Nazianz. epiſt. 30. Cæſaream Cappadociæ omnium Eccleſiarum Matrem ideo adpellat, quia totius Cappadociæ Metropolis erat: *Igitur cujuslibet quidem Eccleſiæ tanquam corporis Chriſti habenda eſt ratio, maxime vero noſtræ, quæ prope mater eſt omnium Eccleſiarum & fuit ab initio, & nunc quoque eſt, & nominatur, quam chriſtiana respublica, velut centrum ſuum circulus, undique obſervat.* Eundem in ſenſum etiam Baſilius epiſt. 50. ad Athanaſium ſcribit: Meletium Patriarcham Antiochenum univerſo corpori Eccleſiæ præeſſe, & fide ac vita irreprehenſibilem eſſe, reliquos nulla ratione cum eo poſſe comparari. Patres quoque ſynodi CPæ, in epiſt. Synod. ad Damaſum R. P. Ambroſium & Brittonem, hieroſolymitanam Eccleſiam aliarum omnium matrem efferunt, teſte Theodoreto L. 5. hiſt. c. 9. Hieronymus vero de eadem Eccleſia mentionem ingerens c. 2. in Eſaiam ſcribit: *Sed & in Hieruſalem primum fundata Eccleſia totius orbis Eccleſias ſeminavit.* Celebris pariter eſt de origine Eccleſiarum matricium Petri de Marca locus L. 6. conc. c. 1. n. 3. ubi ait: *Obſervatum id ab Apoſtolis in infantia Eccleſiæ: qui ſapienter in Eccleſia retinuerunt civilem romani imperii diſpoſitionem, in quo Dei religio facilius ſuſcepta eſt, quam apud gentes Barbaras: adeo, ut cum imperii corpus in provincias tributum eſſet, orbem quoque & ipſi eccleſiaſticum in provincias*

partiti

partiti ſunt. Rurſum cum in imperio provinciæ contributæ eſſent cuidam civitati primariæ, quæ metropolis dicebatur, apud quam magiſtratus ſubjectorum cauſas judicabant, & quo propterea populi conveniebant frequentius, quod ſingulari quodam jure cæteræ civitates a matrice penderent, Apoſtoli itidem Epiſcopos in civitatibus conſtituerunt, eo videlicet ordine, ut penderent ab Epiſcopo in metropoli ſive urbe primaria collocato. Quæ vero Eccleſiæ ab Apoſtolis præ cæteris tanquam matrices fuerint conſtitutæ L. 1. c. 3. n. 2. pluribus deducuit. Conſequitur proin, Eccleſias matrices ab illis, quas modo metropoliticas dicunt, haud fuiſſe diverſas.

§. XXIV.

Adductis adverſantium nobis hac in parte argumentis, ut abundantius ſatisfaciam, illud notaſſe juverit: Judæ Iſcariotæ certe non a Petro manus fuiſſe impoſitas, quem tamen Epiſcoporum gloria inſignitum fuiſſe vel ipſius Petri teſtimonium perorat ajentis: Judam cum Apoſtolis connumeratum, eandemque cum illis fuiſſe ſortem ſortitum. (q) Unde & alium in ejus locum ſuffici poſtulat, teſtem reſurrectionis

(q) Act. 1. v. 17.

nis Christi, hac ratione ductus: *Scriptum est enim: Episcopatum ejus accipiat alter.* (r) Cui argumento, quantum deferendum foret, Bellarminus pro sua, qua pollet, ingenii acie optime perspectum habens sequenti verborum pondere illud deprimere nititur: *Ad illud de Judæ Episcopatu respondeo, in Psalmo 108. vocari Episcopatum non id, quod nunc proprie vocamus Episcopatum, sed præfecturam quamcunque; est enim in hebræo* PEKUDAH, *quod visitationem, seu præfecturam significat, & credibile est, Petrum hebraice allegasse hunc Psalmum, & nomen illud præfecturæ ad Apostolatum Judæ accommodasse. Lucas autem hæc referens græce secutus est LXX. interpretes, qui vertunt* την επισκοπην. *Quæ voce LXX. non potuerunt intelligere, nisi præfecturam in genere, cum non esset ipsorum tempore Episcopatus proprie dictus adhuc institutus. Adde, quod etiam Cicero L. 7. epist. ad Atticum hoc nomine utatur, cum dicit se a Pomponio totius Campaniæ episcopum constitutum. Potest etiam responderi, Psalmum istum loqui de Episcopatu proprie dicto, non quem Judas habuit, sed quem erat habiturus, si Dominum non prodidisset.* (s) Verum sint per me ista

e

sat

(r) Psalm. 108. v. 8.
(s) Loc. cit.

ſat præclare dicta, utinam etiam intentioni Spiritus ſancti ex aſſe conformia! Variis epiſcopatus vocabulum interpretationibus obnoxium eſſe, apud Scripturæ interpretes paſſim lego, (t) ut adeo vel dubitare ignorantiam proderet. Quem vero ſenſum Propheta intenderit, vel ipſa, quæ diſcuſſioni ſubjecta eſt, materia eloqui videtur. De illo enim Epiſcopatu Propheta recte intelligitur, qui Juda prævaricante ab alio ſupplendus a Petro proponitur; qui non alteri, quam apoſtolicæ conveniret dignitati, atque cujus conlatio Eccleſiæ arbitrio relinquitur. Quæ ad rationis regulam vocata non cuicunque præfecturæ quadrare videntur, ut de profana ne mentionem ingeram, utpote ſpiritui eccleſiæ aliunde contraria. Quodſi ergo mox dicta de præfectura ſolum eccleſiaſtica intelligenda veniant, eadem præfecturæ epiſcopali recte aptari vel inde conſectaneum fit, quum alia eo ſanius neſciatur: quo magis Epiſcopos Eccleſiæ prælatos atque ſpeculatores conſtisutos eſſe, perſuaſum habetur. Illud

unum

(t) Lorin. expoſ. in Pſal. 108. v. 8. Cornel. a Lap. eod. loc. Salmeron. tom. 12. tract. 9. ad fin.

unum pace tanti viri tanquam indubitatum pronuntiarim: Petrum Eccleſiæ principem, Davidis vaticinium probe adſecutum; non tamen illum, de quo proditor exciderat, epiſcopatum de præfectura aut viſitatione, principibus hujus ſæculi propria, intelligendum duxiſſe, utpote de miniſterio exponens, ſtatutisque ad ejus officium Barſaba & Mathia, ita Dominum precatus: *Tu, Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum miniſterii hujus & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* (u) Quibus ex verbis datur intelligi, quod non de quacunque præfectura Petrus differat, ſed de ea, quæ Apoſtolis congruit, dum Mathiam per ſortes ea potitum, conlegio Apoſtolorum adnumeratum ait. Nec ad ſpeciem ſaltem obſtare videtur, tempore LXX. interpretum Epiſcopatum proprie dictum necdum fuiſſe inſtitutum, quum non inſtituentis, ſed ſolum vaticinantis verba referant, quorum veritati ſatis conſulitur, ſi pro illa

(u) Act. 1. v. 24. & ſeqq.

temporis differentia eventus emergat, pro qua prophetæ intelligitur vaticinium. Ut adeo ea, quam de Episcopatu proprie dicto Bellarminus format, expositio, cæteris Scripturæ locis multum videatur conformior atque planior, fors hiulca tamen; dum Judam Episcopatus infula condecorandum scribit, nisi proditionis, qua magistrum tradidit, macula tantam deturpasset gloriam. Verum enimvero nullam profecto conditionem nec propheta regius, nec etiam Petrus adjunxit, dum absque ullis anfractibus Judæ Episcopatum ab alio accipiendum esse, spiritu adflati divino, eloquuntur. Quo autem pacto in Judæ Episcopatum quispiam sufficitur, qui nunquam exstitit? cui Judas nunquam præfuit? cujus munia vel ipsus ignoravit? Utrum vero prævaricatione non admissa tanto honore dignus fuisset habitus, eadem ratione ambiguum est, monente Duguetio: *Nihil decrevit aut permisit Deus pro eo statu, qui futurus non erat; & si nihil decrevit aut permisit, hæc omnia figmenta sunt nostræ phantasiæ, cui quanto minus fræna laxantur, tanto melius, sapientiusque est.* (w) Judam igitur episcopali præfectura conspicuum

(w) expos. de Gen, tom, I. c. 3. v. 6.

cuum fuiſſe non incongrue dicitur, utpote a Domino electus Apoſtolus ad prædicandum cum cæteris miſſus: (x) poteſtate curandi infirmos, regnumque Dei adnuntiandi inſtructus: (y) Chriſti ſacerdotio initiatus, (z) impoſita inſuper, idem officium aliis quoque conferendi, obligatione. (a) (*) Hisce rite perpenſis plures doctrina celeberrimi viri, quos Salmeron adducit, (b) in eam abiere ſententiam, ut omnes Apoſtolos in ultima cœna a Chriſto non Sacerdotes modo, ſed & Epiſcopos a Domino ordinatos fuiſſe ſuſtinerent, inde moti: quod ibidem in illos omnis epiſcopalis dignitatis prærogativa fuerit translata, parique ſorte cunctis concredita.

(*) Chriſtum per illa verba: *hoc facite in meam commemorationem*: verbum N. L. ſacrificium inſtituiſſe, ejusque oblationis uſum usque ad finem mundi præcepiſſe, dubio caret. Quoniam vero idipſum ſolum Sacerdotum manibus perfici voluit, per præſtituta verba Apoſtolis, alios quoque ordinandi munus injunxiſſe, pluribus placet.

(x) Matth. 10. v. 7.
(y) Luc. 10. v. 9.
(z) Luc. 22. v. 19.
(a) Loc. cit.
(b) Tom. 12, in cap. ult. Lucæ, & cap. 1. Act.

§. XXV.

Ut vero ad illud, unde me paululum disgreſſum adverto, propoſitum redeam, Apoſtolos non mediante Petro, ſua, qua gaviſi ſunt, poteſtate fuiſſe prædítos, illi potiſſimum Scripturæ teſtimonio, tanquam inconcuſſo fulcro inniti, confido, quo Chriſtus reſurgens ex mortuis in medio diſcipulorum ſtetiſſe creditur, dicens: *Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit & dixit eis: accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* (c) Quo ex oraculo Apoſtolos pari authoritate miſſos, Spiritu ſancto plenos, atque poteſtate clavium inſtructos eo certius conligimus: quo plures per hæc verba Apoſtolos ab ipſo Domino primi ordinis presbyteros fuiſſe conſtitutos, licet quoad cætera contrarii, coguntur fateri, in eandem quoque ſententiam abeunte Anacleto apud Gratianum, (*) atque hunc in modum ſuum judicium proferente: *Petrus ligandi atque ſolvendi poteſtatem primus accepit a Domino, primusque ad fidem populum virtute ſuæ prædicationis adduxit, cæteri vero Apoſtoli*

cum

(c) Joan. 20. v. 20.

cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt, qui etiam, jubente Domino, in toto orbe dispersi Evangelium prædicaverunt. (d)

(*) Dum præsentem Gratiani locum recito, absit, ut ejus robur ex Anacleti authoritate repetam, probe gnarus, primum in cujusdam Isidori cerebro hanc epistolam esse natam. Quare in tantum unice adductum Gratiani textum pugnare contendo, in quantum Cypriani L. de Unit. Eccl. verba refert, atque locum in Gratiani decreto obtinuit, cui communis saltem utriusque potestatis receptio in Germania magnam authoritatem adjecit teste cl. Riegger Instit. jurispr. eccl. P. 1. sect. 4. c. 6. §. 536. aliisque plurimis.

§. XXVI.

Ea jam veræ Christi Ecclesiæ sors est, atque conditio longe exoptatissima, quod finem pati nescia, usque ad consummationem sæculi perstitura, (e) regnumque ejus absque fine futurum (f) divinis eloquiis adseratur, propriis idipsum verbis confirmante Augustino, qui ita Ecclesiam, Donatum

(d) dist. 21. can. 2.
(e) Matth. ult. v. 20.
(f) Luc. 2. v. 33.

perſtringentem, inducit; *Quamdiu ero in iſto ſæculo, annuntia mihi propter illos, qui dicunt: fuit & jam non eſt. — — Apoſtatavit & periit Eccleſia de omnibus gentibus, — — & annuntiavit. Nec vacua fuit vox iſta. Quis annuntiavit mihi, niſi ipſa via? Quomodo annuntiavit? Ecce ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſæculi.* (g) Hæc dum ſeria mente perpenderet Melchior Canus, Eccleſiæ quoque principatum nullis temporum angustiis conſtringi invicta conſequutione deduxit, ajens: *Regnum Chriſti futurum erat æternum: ergo & Eccleſiæ quoque principatus non fuit temporalis.* (h) Ceſſent proin novatorum, Calvini præprimis, (i) atque helmſtadienſis apoſtatæ ſomnia, dum prædeſtinatorum etiam Eccleſiam, non tam temporum injuriis, quam hominum vitiis diſſipandam atque evertendam eſſe contendunt, illius Chriſti oraculi quaſi inmemores: *Ecce ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſæculi.* (k) Nulla proin nocebit perverſa iniquitas, talis quando paſtor invigilat: nullus error Eccleſiæ maceriam deſtruet, quæ petra tanquam

---

(g) Enarrat. in Pſalm. 101.
(h) de locis Theol. L. 6.
(i) L. 1. inſtit. c. 2.
(k) Matth. ult. v. 20.

quam fundamento gaudet, nec ulla ventorum rabies Petri naviculam merget, dum ille, cui venti & mare obediunt, gubernacula tenet, docente Ambrosio: *Navem Ecclesiam debemus accipere, in salo mundi istius constitutam, quæ crebris ventorum fluctibus, id est, tentationum plagis & verberibus fatigatur, quam turbidi fluctus, id est, hujus sæculi potestas conatur ad saxa perducere. Quæ, etsi undarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore ejus, id est, in cruce Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator; proram Paracletus servat spiritus. Hanc per angusta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est, duodecim Apostoli.* (1)

§. XXVII.

Quoniam vero Apostolos nulla immortalitatis prærogativa donatos fuisse constat, utpote communi nobiscum sorte mundi hujus theatrum ingressos, atque tanquam filios iræ eidem ferali mortis decreto subjectos; alios proinde horum in defectu viros fuisse constitutos, quorum in humeros pa-

(1) L. de Salomone c. 4.

ſtoralis officii munus exonerarent, abunde datur intelligi. Hisce jam ea ſolicitudo curaque paſtoralis debet incumbere, ut prouti Apoſtoli legatione Dei fungerentur, exigente idipſum provido Eccleſiæ regimine, ne fides chriſtiana, totius corruptæ naturæ immutationem anhela, cujuscunque arbitrio disjudicanda, aut interpretanda concedatur, inſuper habita omni geniorum, educationis, morum, ipſiusque vitæ discrepantia, eo majori adniſu per præſtitutum nuper jus determinandi, in ordinem cogenda: quo liberius quilibet ſuo genio indulget, perverſamque, nec non in omne malum pronam naturam laxatis habenis inſequitur: ut illud nequidem commemoraſſe lubeat, hac agendi ratione, millenis perturbationibus in ſtatu Eccleſiæ oriundis, fœcundiſſima, errantibus omne ſidus obnubilari, quo minus illius ſub auſpiciis in viam ſalutis redire valeant, deficiente nimirum clavium poteſtate, quarum adminiculo regnum cœlorum, nœvis etiam per fragilitatem humanam contractis obſerratum, aperiri, atque vincula ejusdem ingreſſum prohibentia diſſolvi poſſent, conſtitutis utpote ad hoc miniſterium ſolis Apoſtolis, ut ſuperius ſat prolixe exhibitum eſt. Quare,

niſi vera daretur Apoſtolorum ſucceſſio, nulla amplius Eccleſiæ poteſtas foret, & quod inde conligere pronum, eadem, quæ Chriſti & Apoſtolorum temporibus Eccleſia fuit, haud amplius inveniri poſſet, præter illud, quod Chriſtus fallendi expers toties diſerto ore eloqui dignatus eſt, Eccleſiæ ceu ſponſæ dilectiſſimæ nullos durationis terminos prætigens, eosque fore perpetuos repetitis vicibus conteſtans, quin nec ullis hoſtium inſultibus, ſæpius fors eo magis timendis quia domeſticis, perfringendos, perrumpendosve. Unde etiam, ut hujus mali vel umbram tolleret, fideique, quod religionis chriſtianæ palmare caput eſt, regulam nullis arietibus concutiendam conſtitueret, *Ipſe*, ut Pauli verbis loquar, *dedit quosdam Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitate fidei & cognitionis filii Dei.* (m) Quo ex Apoſtoli teſtimonio illud limpidum fieri cenſeo, non prius defuturos Eccleſiæ miniſtros, ordinatione divina ſegregatos, donec occurramus

omnes

(m) Epheſ. 4. v. 11.

omnes in unitate fidei, & cognitionis Filii Dei, unumque ovile & unus paſtor fuerit. Hoc vero temporis punctum non ſine mundi antiquius, ſed cum eodem advehendum fore præter Hieronymum, Auguſtinum, Damaſcenum, omnes, qui exponendis difficilioribus Scripturæ locis ſuam navarunt operam, ſat erudite oſtendunt, in hunc textum commentantes. Ut igitur nihil eodem jure concludere prohibeat, etiam Apoſtolorum ſucceſſores nunquam defecturos, quorum ſacratis manibus opus miniſterii perficiatur, quibusque corpus Chriſti indefeſſa, nec mercenariis ſueta ſolertia ædificare incumbat, pari etiam hunc in finem poteſtate & authoritate prædítis, ut ea omnia disponere ſatagant, quæ paſtoralis cura, bonumque Eccleſiæ ipſis concreditæ poſtularit, ſive leges ferendo, ſive membra putrida reſecando, omni, quo dabitur conatu promovendum atque ſtatuminandum.

§. XXVIII.

Porro in Epiſcopos plenam apoſtolicæ ſucceſſionis gloriam eſſe transfuſam, eo ſecurius extra omne dubium videtur poſitum: quo minus etiam a noſtris ſacris alieni in

idem

idem placitum concedere hærent (n) vel inde de veritate perſuaſi: quod nec ipſi Apoſtoli ejusmodi viris inanem ſolum nominis ſpeciem ſine poteſtatis conſortio, caſſa nuce & viliſſimo putamine viliorem, contuliſſent, nec ipſimet hi viri, vere apoſtolici, ſolas vocabuli labruſcas oſtentare adtentaſſent, niſi ſicut tituli gloria, muneris quoque & officii ad eos devoluta fuiſſet ſarcina, ut proin ſicuti nominis, (*) ita & paſtoralis officii Epiſcopos hæredes merito pronuntiarim.

(*) Epiſcopos in primitiva Eccleſia etiam Apoſtolos fuiſſe adpellatos ex Theodoreto diſcimus, qui authorem commentariorum in epiſtolas Pauli ſequutus hæc ſcribit in epiſt. I. Tim. c. 3. v. 1. *Eos qui poſterioribus ævis Epiſcopi dicuntur, illos tunc Apoſtolos vocabant, procedente vero tempore apoſtolatus nomen veris Apoſtolis reliquerunt, epiſcopatus vero appellationem illis, qui olim Apoſtoli dicebantur, impoſuerunt. Sic Philippenſium Epaphroditus, Cretenſium Titus, Aſianorum Timotheus Apoſtoli erant.*

§. XXIX.

(n) Bingham Vol. 1. orig. eccl. L. 2. c. 2, Beveregius in C. can. primit. eccl. c. 2.

§. XXIX.

Et quidni idipſum adſeram, quod veneranda antiquitas ſuis ſemper comprobavit calculis? ut adeo ſub ipſis Eccleſiæ incunabulis ſe conſtituti hujus memoria prodat, cum Petro in ſede romana Linum, in antiochena vero Evodium ſucceſſiſſe: dum Smyrnæ Polycarpum Joanni ſubrogatum, & Alexandriæ Anianum Marci locum tenuiſſe, totius chriſtianæ hiſtoriæ documentis, omnibusque antiquitatis veſtigiis teſtatum habemus: ſcribit enim de Petro Clemens (*): *Epiſcopos ergo vicem Apoſtolorum gerere Dominum docuiſſe dicebat, & reliquorum diſcipulorum vicem tenere presbyteros debere inſinuabat: nullum etiam presbyterum in alicujus Epiſcopi parochia aliquid agere debere absque ejus permiſſu docebat. Sed & cunctos presbyteros omnibus Epiſcopis in omnibus absque mora obedientes inſtituente Domino eſſe debere docebat.* (o) Et alio in loco: *Dominus noſter mittens vos vice ſua in loco Apoſtolorum ad prædicandum præcepit vobis docere omnes, omnesque vobis fideliter obedientes, ut ipſi, exiſtere.* (p) Nec ſequentibus temporum intervallis alia Patrum

(o) Epiſt. ad Jacob. fratr. Dom.
(p) Epiſt. 3. ad Epiſc.

trum exſtitere ſenſa. Sæculo enim II. Iræ-
næus *Hyginum nonum locum epiſcopatus per ſucceſſionem ab Apoſtolis habuiſſe*, teſtatur. (q) Et infra: *Traditionem apoſtolicam per ſucceſſionem presbyterorum* (**) *in Eccleſiis cuſtodiri.* (r) Cui ſæculo III. exacte Tertullianus conſentit: *Edant*, inquiens, *hæretici origines Eccleſiarum ſuarum; evolvant ordines Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit authorem vel anteceſſorem: Hoc enim modo Eccleſiæ apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum a Joanne collatum refert, ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Perinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in epiſcopatum conſtitutos apoſtolici ſeminis traduces habent.* (s) Firmilianus ſua ſuper hoc negotio ſenſa hunc in modum Cyprianno exponit: *Poteſtas ergo remittendorum peccatorum Apoſtolis data eſt, Eccleſiis, quas illi miſſi a Chriſto conſtituerunt, & Epiſcopis, qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt.* (t) Nec minus

(q) L. 1. adverſ. hæreſ. c. 28.
(r) L. 3. c. 2.
(s) L. de Præſcript. c. 32.
(t) Epiſt. 75. inter Cyprian.

nus celebris est Cypriani locus, quo Cornelio Romæ Episcopo conlegarum officia perscribit: *Hoc vel maxime frater laborare debemus, ut unitatem a Domino & per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus.* (u) In concilii vero carthaginensis consessu ita Episcopos adloquitur: *Apostolis nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Dei gubernantes.* (w) Cui in eodem consessu ad votum Clarus a Muscula Episcopus respondit: *Manifesta est Domini nostri Jesu Christi sententia, Apostolos suos mittentis, & ipsis solis potestatem a Patre datam permittentis, quibus nos successimus eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes.* (x) Sæculo IV. S. Pacianus eodem prorsus modo rem edisserit, fatum nulla admiratione dignum reputans, si Apostoli Episcopis nomen suum dederint, quum Christus suo eosdem insignire non dedignatus sit: *Jus illud nobis, ut Apostolorum cathedram tenentibus, negabit, qui Episcopis etiam unici sui nomen indulsit? Nemo Episcopum hominis contemplatione despiciat. Recordemur, quod Petrus Apostolus Dominum Episcopum nominarit: sed conversi, inquit, modo*

ad

(u) L. 3. c. 9. alias epist. 42.
(w) In præfat ad PP. concil. carthag.
(x) Apud Cyprian. in suffrag. Clari a Muscula.

ad Episcopum & Pastorem animarum nostrarum. Quid negabitur Episcopo, in quo nomen Dei operatur? (y) Hieronymus Episcoporum honorem eodem argumento contra Montanistas defendit: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos Episcopus tertius est.* (z) Alio vero in loco scribit: *Fuerunt, o Ecclesia! Apostoli patres, quia ipsi te genuerunt. Nunc autem illi recesserunt a mundo, habes pro iis Episcopos filios, qui a te creati sunt. Sunt enim & hi patres tui, quia ab ipsis regeris. Constitues eos super omnem terram. Constituit Christus sanctos suos super omnes populos. In nomine enim Dei dilatatum est Evangelium in omnibus finibus mundi, in quibus principes Ecclesiæ, id est, Episcopi constituti sunt.* (a) Nec aliam interpretationem eidem Psaltis regii loco sæculo V. Augustinus adtribuit: *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides*

(y) Biblioth. PP. Tom. 4. epist. 1.
(z) Epist. 54. ad Marcellam contra Donat.
(a) Expos. in Psal. 44.

Paulum, quia non vides illos, per quos nata es, de prole tua ibi crevit paternitas, pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, nempe Epiſcopi. (b) Cæleſtinus vero I. hisce ſtimulis Epiſcopos Epheſi conlectos perurget: *Hæc ad omnes in commune domini ſacerdotes mandatæ prædicationis cura pervenit. Hæreditario in hanc ſollicitudinem jure conſtringimur, quicunque per diverſa terrarum eorum vice nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur: Ite, docete omnes gentes. Advertere debet veſtra fraternitas, quia accepimus generale mandatum: omnes etiam nos id agere voluit, quia illis ſic omnibus commune mandavit officium. Neceſſe eſt, ut competenter noſtros ſequamur authores, ſubeamus omnes eorum labores, quibus omnes ſucceſſimus in honore.* (c) Sæculo VI. Gregorius M. Apoſtolis conceſſum a Chriſto defendit, ut quibusdam peccata relaxent, retentis quibusdam. Subjungit autem: *Horum profecto nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent. Ligandi atque ſolvendi authoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur.* (d) Eadem autem apud poſterioris ævi ſcriptores obcurrunt teſtimonia, qui concordi calamo

(b) Enarrat. in Pſal. 44.
(c) Epiſt. ad Synod. epheſ.
(d) L. 3. moral, c. 3.

lamo Episcopis apostolicæ successionis gloriam vendicant, uti Beda, (e) Hincmarus, (f) Amalarius Fortunatus metensis Ecclesiæ Diaconus, (g) Petrus Blesensis, (h) Eckbertus presbyter, & san-florensis monasterii Abbas, (i) Petrus Lombardus, (k) Eugenius IV. (l) Thomasinus, (m) Petrus Aureolus, (n) Gersonius, (o) aliique plurimi, quorum verba propinare supersedeo, ne eadem repetendo a præfixo brevitatis scopo aberrare contingat.

(*) Absit, ut Clementis epistolas, præter illam, quam ad Corinthios scripsit, genuinas agnoscam; ut adeo nec putridis Isidori mercibus cuipiam imponere animus sit. Quare illorum gratia solum Clementis testimonia primo loco conlocanda duxi, quibus fors adhuc ob novitatis studium eisdem vim quamdam tanto authori debitam adtribuere placet.

(e) in Psal. 44.
(f) Opusc. ad quemdam Episcop. de translat. episc. n. 3. Opusc. de criminos. presbyt n. 26.
(g) L. 2. de offic. c. 11.
(h) Epist. 51. ad Joan. saresberiensem Episc.
(i) Serm. 10. adverss. Catharos.
(k) In 4. dist. 24.
(l) In decreto unionis pro Armenis de Sacr. confir.
(m) Discipl. N. & V. Eccl. P. II. L. 2. c. 8. n. 7.
(n) T. 2. pag. 87.
(o) De stat. eccl. de statu prælatorum consid. 3.

(**) Ut præſens Irænæi teſtimonium pugnare poſſit, ex cl. Gerberto c. 2. de vero eccl. ſyſt. n. 5. notaſſe juverit: *Tota hic difficultas in vocum ambiguitate latet, qua non ſtatim cuique ordini nomen ſuum determinate fuit adaptatum atque peculiare factum. Quod igitur dicebam, inquit S. Chryſoſtomus hom. 1. ad Philipp. 1. & presbyteri antiquitus vocabantur Epiſcopi, & Epiſcopi presbyteri. Cum Chryſoſtomo faciunt alii complures ſancti patres ac antiqui doctores Hieronymus, Theodoretus, Ambroſiaſter, Pelagius, Sedulius, Primaſius, Theophilactus, Oecumenius.* Conf. Luc. Paleotimus orig. eccl. L. 2. c. 2. Petavius de eccl. hierarch. L. 5. c. 4. Natal. Alexander Tom. VI. ad Sæc. IV. Diſſ. 44. a n. 14 & ſeqq. Rupprecht not. hiſt ad tit. de M. & O. n. 46. & ſeqq. quorum tres poſteriores Aerii, &, qui ejusdem crambem noviſſimis temporibus recoxit, Davidis Blondelli argumenta ex vocum æquivocatione petita hoc telo retundunt, probatiſſimis teſtimoniis horum vocabulorum converſionem demonſtrantes.

§. XXX.

Quid mirum proin, quod conſtantem hanc Patrum traditionem etiam concilia fuerint ſequuta, & ad hujus normam canones decreverint, ne vel temporum vel hominum male feriatorum injuriis Eccleſia in

ſuis

fuis paſtoribus vices ſubire cogatur eo amplius abominandas: quo magis a Chriſti voluntate remotas. Hinc Patribus Aquisgrani anno 816. congregatis ſtatuere placuit: *In novo teſtamento poſt Chriſtum ſacerdotalis ordo cæpit a Petro. Ipſi enim primum datus eſt pontificatus in Eccleſia Dei, ſic enim ad eum loquitur Dominus: Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cælorum. Hic ergo ligandi ſolvendique poteſtatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute ſuæ prædicationis adduxit; ſiquidem cæteri Apoſtoli cum Petro par conſortium honoris & poteſtatis acceperunt, qui etiam in toto orbe diſperſi Evangelium prædicaverunt: quibusque decedentibus ſucceſſerunt Epiſcopi, qui ſunt conſtituti per totum mundum in ſedibus Apoſtolorum.* (p) Patres vero meldenſis concilii hæc in initio præfationis ponunt: *Nos licet indigni, Chriſti tamen vicarii & Apoſtolorum ipſius ſucceſſores.* (q) Porro Epiſcopi rhemenſis & rhotomagenſis provinciarum in ſynodo cariſiaca Ludovico Regi ſequenti verborum gra-

 vitate

(p) Can. 9.
(q) In præf, act. concil. meld.

vitate ſuam dignitatem ante oculos ponere decernunt: *Pro certo ſciatis, quia cum noſtris parentibus, id eſt, cum Apoſtolis Chriſtus Rex regum regnum ſuum, id eſt, Eccleſiam acquiſivit, ampliavit, & rexit, & per nos & nobiscum, utinam non ad judicium noſtrum dicamus, id eſt, regnum ſuum quotidie acquirit auget, & gubernat. Idem Dominus Jeſus Chriſtus, ſicut dictum eſt a Domino Eccleſiæ per prophetam: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, id eſt, pro Apoſtolis creavit tibi Epiſcopos, qui te regant & doceant. Cumque Eccleſia nobis commiſſa, Rex chriſtiana & Domine! ſicut litteris veſtris juſſiſtis, pro vobis deprecari ſtudebimus.* (r) Ultimum tandem robur teſtimoniis ſat divite manu congeſtis, addit concilium tridentinum, cujus hoc eſt decretum: *Proinde ſacroſancta ſynodus declarat, præter cæteros eccleſiaſticos gradus Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & poſitos, ſicut Apoſtolus ait, a Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei.* (s)

§. XXXI.

(r) Can. 15.
(s) Seſſ. 23. de ſacr. ord. c. 4.

§. XXXI.

Huc jam, ſi maturum, limatumque judicium revocaſſent Theologorum pariter ac JCtorum proteſtantium plurimi, (t) eosdem nec rogatos jus in ſacra ſuperioritati territoriali vendicaturos fuiſſe, eo certius confido: quo prolixius propria ingenia, conſultiſſimo æquitatis ſtudio conſecraſſe in ipſorum ſcriptis deprehendo; haud alio proinpondere eos in hanc partem depreſſos auguror, quam ut debitæ ſubjectionis cenſum ſummis poteſtatibus penderent, quamvis tali in cultu ſuperflui, dum Principibus mere profanis eccleſiaſticorum quoque honorum infulas adtribuunt, quas ſolis Apoſtolis ab ipſorum magiſtro decretas fuiſſe omnes fere ſacræ Scripturæ paginæ eloquuntur, non minus diſerta facundia pro Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus perorantes, quum veram Chriſti Eccleſiam, columnam & firma-

(t) Conf. Joan. Gerhard. in loc. de magiſtr. polit. §. 174. & ſeqq. Laurent. Ohmius de jure epiſcop. concl. 20. tit. 6. Myler de ſtat. imp. cap. 82. n. 5. Ziegler de juribus majeſtat. L. 1. c. 17. §. 3. Reinkingk de reg. ſæcul. & eccl. L. 3. claſſ. 1. c. 10. n. 1. & ſeqq. Andreas Knichen de ſublim. territ. juris. c. 3. n. 233.

mentum veritatis constitutam, usque ad consummationem temporum perduraturam adseverant; ab illis proin jugiter pristino in vigore conservandam stabiliendamque, quos *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* (u) Jejunum igitur ac fungosum eorum emergit consilium, dum suis imperantibus duplicem personam adfingunt, sæcularem nempe & ecclesiasticam, Principis, inquam, & Episcopi, eo pacto: ut Principem jus territorii effingat; Episcopum vero decretum pallavicense constituat. (*) Non enim ex imperii sanctionibus, sed Christi oraculis sacra potestas repetenda venit, illis proin solum domestica, quos in sortem Domini e mundo evocatos, atque divina missione conspicuos novimus, & quod consequens est, potestatis apostolicæ hæredes atque successores.

(*) Quo in sensu Protestantes suos Imperantes tanquam Episcopos venerentur, libentius ex ipsorum verbis discimus. Ita autem discurrit Benedictus Carpzovius L. 1. Jurisprud. eccl. defens. XI. n. 14. *Sæcularem & politicam potestatem magistratus tenet jure hæreditario, ut Princeps politicus: ac potestatem ecclesiasticam*

ex

---

u) Act. 20. v. 28.

ex transactione passavienſi, usque dum amicabiliter negotium religionis universale fuerit compoſitum, ut pontifex & epiſcopus exercet. Nequaquam ergo diverſæ hæ jurisdictiones miſceri, ſed diverſis in judiciis tractari debent; quia diverſa ſunt, crucifixus & ſumma poteſtas: miles & ſacerdos: imperator & paſtor: regnum & patibulum: corporalia & ſpiritualia: arma & ſacra: bellum atque pax: cæſar & nuntius: princeps & miniſter: dominus & ſervus. Pari quoque cum Carpzovio philoſophia utitur Matthæus Stephani L. 2. de Jurisdict. eccl. p. 1. c. 7. n. 472. definiens: *Inprimis jura epiſcopalia ex quaſi fiduciario contractu ſive depoſito principibus concredita, atque commiſſa ſunt, & una cum jurisdictione ſive jure epiſcopali territorium ipſum . . . . . Atque hoc eſt, quod dicitur, principes ſæculares ſuſtinere duplicem perſonam, ſæcularem & eccleſiaſticam, hoc eſt, principis & epiſcopi: hanc ratione epiſcopatus: illam ratione territorii. Non tamen æque principaliter utramque perſonam ſuſtinent. Principaliter enim ratione territoriorum ſunt ſæculares. Quod autem ſimul eccleſiaſticam perſonam ſuſtinent, id fit minus principaliter, cum jurisdictionem eccleſiaſticam exerceant, non jure proprio, ut ſæcularem, ſed conceſſione imperatoris vigore decreti paſſavienſis,* Wolfgangus Textor ſequentibus ſuam mentem propinat Diſſert. de jure epiſc. in terris ſtatuum proteſt. §. 51. *Quamvis de jure probabile videtur, principes noſtros atque ſtatus in ſuis territoriis*

potuiſſe ſibi aſſerere poteſtatem in ſacris jure principali vel ſuperioritatis, etiam ante pacem religioſam; tamen fundamenta absque dubio ſunt clariora pro aſſerendis principum ſtatuumque proteſtantium juribus ſacris, quæ vel ex pace religioſa, vel ſubſecuta immemorialis temporis obſervantia, vel etiam ex inſtrumento pacis petuntur.

§. XXXII.

Momentis modo propoſitis, me nec cogitante, & alius error refellitur, illorum nempe, qui a populo jus in ſacra, alias conlegiis proprium ad Epiſcoporum cathedras devolutum ajunt, quod ipſum tamen tempore reformationis ob varios abuſus, lacunatis Epiſcoporum deſideriis inductos denuo inde avulſum, atque contra fidem datam politicis principum ſceptris adſociatum fuiſſe tuentur. Verum enimvero quisnam præclarus ille artifex, qui Eccleſiæ jura cum majeſtaticis felici adeo, quamvis arbitrario, nexu conjungere noverit, non obſtante Chriſti oraculo, qui Eccleſiæ jura a majeſtaticis jam in ipſius inſtitutionis exordio voluit eſſe diſcreta, nec alio vinculo niſi eccleſiaſtica conſecratione contorto jungenda atque conliganda? Hujus enim adminiculo

culo quispiam fundamento Apostolorum successionis jure constringitur, sine quo stabilis haud erit ulla constructio: Sacra enim potestas nec exstructis pecuniarum aggeribus comparatur, nec armis evincitur, nec victoriis paratur, ceu omni bellatore fortior ac potente potentior: sola igitur manuum inpositione non tam expugnanda quam inplantanda, inprimendaque.

§. XXXIII.

Ne tamen præstitutum mox adsertum in pontificiorum solummodo cerebris natum esse videatur, ad ipsa nascentis Ecclesiæ primordia memoriam revocemus oportet, ut exinde non tam nostra, quam Christi placita repetere liceat. Verum quid aliud sacra testatur historia, quam per manuum inpositionem, quæ a modernis consecratio dicitur, primigeniam solidamque tum ordinis tum jurisdictionis potestatem Episcopis fuisse conlatam atque inmissam? Idipsum enim gentium Apostolus præ oculis habuisse merito creditur, ad Timotheum scribens: *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* (w) Unde

nec

(w) II. Tim. I. v. 6.

nec mera perſonæ deſignatio, nec ab homine facta ſufficit injunctio, ut quispiam ſibi regiminis eccleſiaſtici ſceptra conquirat, quum, teſte eodem Apoſtolo, *nemo ſibi ſumat honorem, niſi qui vocatur ad Deo tanquam Aaron.* (x) In divinæ igitur vocationis teſtimonium jam ab ipſis Apoſtolis manus inponebantur futuris Eccleſiæ prælatis, *non tantum, ut ſacrificia peragerent,* quæ Thomaſſini verba ſunt, *vel ea ſacramenta, quibus peccata eluuntur; ſed ad id vel maxime, ut prædicationi verbi & diſſeminando Evangelio incumberent, ut Chriſto plebem gignerent, fidelium cœtum augerent, Apoſtolatus denique munera implerent. Inungebantur, ut Chriſti imperio ſubjugarent, ut ſubjugatas regerent maximas quascunque provinciarum urbes & civitates, unde fides ad proxima quæque loca diffluueret.* (y) Hujus vetuſtiſſimæ Eccleſiæ conſuetudinis ut veſtigia ſaltem perſiſterent, etiam curiæ ſtylus obtinuit, ut ante conſecrationem, ad epiſcopalem ſedem promovendus, non Epiſcopus, ſed electus audiat, atque ante illam non paſtoris aut ſponſi Eccleſiæ munus, ſed ſolum adminiſtratoris vi-

ces

(x) Hæbr. 5. v. 5.
(y) De V. & N. eccl. diſcipl. P. I. L. I. c. I. n. 8.

ces ſuppleat, mutato tamen, conſecratione peracta, non tam titulo quam officio, ejusque poteſtate, ex delegata, in ordinariam transeunte. Quod ipſum novum argumentum ſuppeditat, per ſolam conſecrationem, epiſcopalem gloriam fieri propriam, utpote ante illam ſolum precariam, imo mancam; quia poteſtate ordinis, quæ æque ad regimen animarum inſtituta eſt, orbam atque deſtitutam. (z)

§. XXXIV.

Quum ad ſolos Epiſcopos jurisdictionem eccleſiaſticam, ſucceſſionis jure per conſecrationem adtracto, devolutam eſſe ajo, id unum jam eliquati juris eſſe videtur, eorundem jurisdictionis poteſtatem, ſua in origine ſpectatam, divina inſtitutione eo potiori jure gloriari: quo clariori luce perſtricti adverſarii mox futuri hac in parte veritati ſacramentum dicere coguntur, urgentibus ipſis, cui nomen dederunt, chriſtianæ religionis principiis divino ex ore hauſtis, quorum teſtimonio Chriſtum alios, Apoſtolis deficientibus, in participium paſtora-

(z) Conf. Diſſert. Nicol. Kales de poteſt. epiſc. c. 2. §. 8.

ſtoralis ſolicitudinis vocari, eisdemque pro variis temporum periodis fidelium ovium curam injungi præcepiſſe, vel dubitare crimen dixero. Huc enim revocantur ea omnia tum Scripturæ, tum Patrum, tum Eccleſiæ effata, quibus Epiſcopi presbyteris jure divino ſuperiores eſſe adſeruntur, quæ omnia profecto viderentur eſſe vacua aerique commiſſa, niſi noſtro propoſito ceu fundamento baſique inſiſterent, quo Epiſcoporum prærogativam inter Chriſti præcepta referimus, eo propenſius adoranda, quia divina. (a)

§. XXXV.

Quo vero alveo jurisdictionis hucusque ſpectatæ eminentia ad Apoſtolorum ſucceſſores nempe Epiſcopos proxime transvehatur, quæſtio eſt, quæ & ſagaciſſima usque eo divexavit ingenia, ut nec ipſi Patres tridentini eandem, licet toties diſcuſſioni ſubjectam, finali ſententia decidere opportunum duxerint, Italis irrito effectu in id omnem

(a) Conf. Lucii Paleotimi orig. eccl. L. 2. c. 2. Petavum de eccl. hierarch. L. 5. c. 4. contra Blondell. Natalis Alexand. tom. IV. ad ſæc. 4. Diſſert. 44. a n. 14. & ſeqq.

omnem operam conlocantibus; ut tanti doni diffusionem non a Deo, sed a romano Pontifice ceu causa proxima repeterent, atque clavium potestatem per jus determinandi designatam, divina largitate intercepta, ejus mediante gloria ad Episcopos derivarent. Verum horum conatus, quamvis Didaci Lainez ingenio subfultos, Dominicus Sotto, quem Galliæ & Hispaniæ præsules defensorem nacti, non tam fortes persentiscere debuit, quin communi cum Apostolis sorti novos continuo meatus pararet, aut, ut aptius loquar, pristinos absque interstitiis conservaret, atque protegeret, quorum probatis ductibus Episcoporum cum ordinis tum jurisdictionis potestas absque intercapedine a Christi favoribus placido cursu defluueret. Nec mirum Lainium tam levis solum armaturæ copias inmisisse, divinos qui hosce fontes præcluderent, quum armaturæ levitatem non tam ingenii mediocritas quam causæ infirmitas pareret, veritatique aliquando cedere omnia eo certius, quo sæpius, experientia comprobatum sit.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Aut quidni veritatis præconio illud adfertum celebrem, quod ſuum robur non in profanis verborum phaleris, ſed potius in ſcripturarum teſtimoniis conlocat eo minus concutiendis utpote divinis. Ut enim alios longe plurimos ſacræ Scripturæ locos brevitatis cauſa nequidem commemorem, quibus divina prorſus Apoſtolorum eorumque ſucceſſorum inſtitutio absque alterius perſonæ interventu exprimitur, illud unum Pauli oraculum, ſæpius licet repetitum, denuo repetam, quo a Mileto Epheſum ſolvens, majoresque Eccleſiæ, nempe Epiſcopos (*) apoſtolicis manibus ordinatos, advocans adloquitur: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* (b) Quoniam amplius faciem ejus haud eſſent viſuri omnes illi, per quos transierat prædicans regnum Dei, illo ceu fortiſſimo præſentes Epiſcopos urgebat argumento, ut chriſtiano gregi adtenderent, *quoniam a Spiritu ſancto poſiti ſunt Epiſcopi regere Eccleſiam Dei, quam acqui-*

(b) Act. 20. v. 20.

quiſivit ſanguine ſuo. (c) Totum igitur Pauli argumentum, teſtamenti tamen loco adſtantibus Epiſcopis depoſitum, evertere præſumit, qui in alium quam obvium ſenſum Pauli verba detorquere non formidat, alienumque adfingere, a quolibet bono eo audacius inpugnandum, quia ipſi Paulo ignotum.

(*) Non ſolum Epheſiorum Epiſcopum, ſed plures in provincia epheſina commorantes Paulum advocaſſe, ex eo videtur inferri, quia ad plures ſermonem dirigit, eaque aperta Irænæi aliorumque primorum Eccleſiæ Patrum mens ſit teſte Cornelio a Lapid. in præfat. Apoſtoli locum commentante.

§. XXXVII.

Dum igitur Spiritus ſanctus Eccleſiæ regimen Epiſcopis committere dignatus legitur, omnem alium excludi mediatorem quis ambigat, qui non proprio unice ſpiritui plus quam oportet, indulgere conſtitutum habet, inſuperhabita quacunque Eccleſiæ Patrum expoſitione, quibus eo firmior debetur fides, quo fideliores verbi divini cuſtodes ipſa mater Eccleſia veneratur, horum abs-

(c) Loc. cit.

que patrocinio non tam vidua, quam cujuscunque de trivio adfectuum ancilla, abjectiſſimique mancipatus lege conſtricta. Quæ ne confidenter potius quam vere jactaſſe videar, ex innumeris pauca ſeligam Eccleſiæ antiſtitum teſtimonia, præſenti propoſito non tam adcommoda quam nata. Signa cæteris præferat celeberrimus ille Carthaginenſium Epiſcopus ob calamum veritatis vindicem acerrimum omnis Africæ oraculum, qui hisce verbis brevem illam præclaramque ad lapſos orditur epiſtolam: *Dominus noſter, cujus præcepta metuere & obſervare debemus, Epiſcopi honorem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens, in Evangelio loquitur & dicit Petro: Tibi dabo claves regni cælorum. Inde per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eosdem præpoſitos gubernetur.* (d) Dominus igitur Cypriano interprete Epiſcopi honorem diſpoſuit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur ceu fundamento eo firmiori, quia divino, nec alterius quam ipſius Chriſti manibus poſito. Ejusdem quoque argumenti pondere Cyprianus ſuperbum illum Diaconum premit, qui & contume-

(d) Epiſt. inter Cyprian. 33.

tumeliis & injuriis Fortunatum Episcopum lacessere non erubuit: *Meminisse*, inquit S. Pater, *Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos Dominus elegit: Diaconos autem, post ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt, episcopatus sui & Ecclesiæ ministros: quodsi nos audere aliquid contra Dominum possumus, qui Episcopos facit, possunt & contra nos Diaconi, a quibus fiunt.* (e) En! in adversariorum sententia denuo Cypriani argumentum non tam infirmari quam everti, qui inde Episcoporum præcellentiam repetit, quod Episcopos Dominus elegerit, non item Diaconos utpote ab Apostolis primum constitutos. Eadem proin & Episcoporum & Diaconorum per omnia spectato authore foret ratio, si & illos quoque potestatis suæ gloriam Petri successoribus in acceptis referre contingeret, atque ab illis jurisdictionem in gregem sibi subditum mutuarent, contra id, quod Origines eloquitur, in cujus sententia ii, *qui Episcoporum locum tenent, utuntur eo dicto, sicut Petrus, & claves regni cœlorum a Servatore acceperunt.* (f) Quibus & Dictinius persuasus suos con-

(e) Epist. 65. integrum textum, ejusque argumentum recitat du Mesnil. tom. 1. L. 7. n. 28.
(f) Tract. 1. in Matth.

legas in Concilio Toletano I. anno 400. hortatur: *Optimi Sacerdotes! corrigite omnia, quia vobis correctio data est; scriptum est enim: vobis datæ sunt claves regni cœlorum.* (g) Ille igitur Episcopis correctionem dedit, qui claves regni cœlorum Apostolis contulit, quas tamen Christi favoribus absque medio adscribere nec adversarii dubitant. Basilius iisdem fere verbis suam mentem exprimit: *Hoc a Christo docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ pastorem constituit. Petre, inquit, amas me plus his? pasce oves meas. Et omnibus deinceps pastoribus atque magistris eandem tribuit potestatem, cujus rei quidem signum est, quod similiter atque ille & ligent & solvant.* (h) Non igitur Petrus, sed Dominus eandem Episcopis potestatem tribuit, dum Petro illam committere non displicuit. Ambrosius pariter & Petrum & cæteros Episcopos quoad ipsorum potestatem dicit habere authorem. Quoniam vero nemo in dubium vocare contendit, Petrum haud alium quam Christum potestatis suæ cognoscere fontem, etiam Episcopos ex eodem suos deduxisse rivos Ambrosio exploratum est, ait enim: *Repetitum est ter a Domino:*

pasce

(g) apud Harduin. Tom. 2. concil.
(h) Constitut. monach. c. 22.

paſce oves meas. Et quem gregem & quas oves tunc beatus Petrus ſuſcepit? Sed & nobiscum eas ſuſcepit, & cum eo illas ſuſcepimus. (i) Quod ipſum alio in loco innuit, cum ſcribit: *Munus Spiritus ſancti eſt officium ſacerdotis: jus autem Spiritus ſancti in ligandis ſolvendisque criminibus eſt.* (k) Quibus jam Epiſcopos & ſua officia & ligandi ſolvendique jura a Spiritu ſancto accepiſſe invicte demonſtrat. Totum jam paucis ſed perſpicuis pro more verbis Auguſtinus conficit de agone chriſtiano diſſerens: *Huic Eccleſiæ claves regni cœlorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt: & cum ei dicitur, ad omnes dicitur: paſce oves meas.* (l) Verum a quonam ad omnes dicitur: *paſce oves meas?* non aliam denuo, niſi vocem magiſtri audio. Ab eo igitur Epiſcopos paſcendarum ovium curam accipere eadem luce proditur, qua, Petri privilegia a Chriſto proxime dimanaſſe, perſpicitur.

§. XXXVIII.

Sed jam ad ipſos romanæ Eccleſiæ præſules greſſum facio, eorum ſuffragia roga-

(i) L. 2. de dignit. Sacerd. c. 2.
(k) L. 1. de Pœnit. c. 11.
(l) S. Auguſt. de agon chriſt. c. 30.

turus, quæ eo fortius pro re noſtra pugnatura nemo non intelligit, quia ab omni propriæ authoritatis ſtudio remotiſſima. Ne vero putridis Iſidori mercibus inponere videar, a Gregorio M. exordium duco, ita ad Clerum mediolanenſem perſcribente: *Conſecrato autem vobis, Deo authore, Paſtori tota vos mente committite, atque in illo omnipotenti Domino, qui vobis hunc præſtulit, deſervite.* (m) Ipſe igitur Dominus Epiſcopum mediolanenſi Eccleſiæ præfecit, nec vocatis ad id præſtandum Gregorii manibus. Joannes VIII. eundem prorſus loquendi modum adhibet, dum de authore, cujus beneficio romana & mediolanenſis Eccleſia Joanni & Ansperto commiſſa eſt, verba facit, omnes totius chriſtiani orbis Eccleſias non diſpenſatione humana, ſed divina Epiſcopis concreditas eſſe, pronuntians. Verba Pontificis ſunt iſta: *Igitur poſtulante a nobis tua reverentia, quantum ea, quæ ad ſtabilitatis integritatem, & ad profectum honoris ſanctæ tuæ pertinere noſcuntur Eccleſiæ, cui ex divina largitate præeſſe dignoſceris, enucleate proficere ſtudeamus.* (n) Eundem quoque honorem

(m) L. 2. indict. 11. epiſt. 28.
(n) Tom. 1. Italiæ ſacræ in epiſt. Joan. VIII. ad Ticinenſ. epiſc.

norem Gregorius VII. Guiberto ravennatenſi Epiſcopo defert, cum ſcribit: *Neque vero dilectioni veſtræ dubitandum eſt, quin romanam Eccleſiam, & eam, cui Deo authore præſidetis, ea concordia, & quantum cum communi utriusque honore poterimus, omnimoda charitate copulare deſideremus.* (o) Quod ipſum in epiſtola ad Gebuinum lugdunenſem Epiſcopum repetit: *Quapropter, quia, dilectiſſime in Chriſto Frater Gebuine! poſtulaſti a nobis quatenus dignitatem ab anteceſſoribus noſtris conceſſam Eccleſiæ, cui Deo authore præeſſe dignoſceris, confirmaremus.* (p) Ne vero iisdem verbis toties repetitis gravis fiam, paucis dixiſſe ſufficiat, eandem loquendi formam, quod Epiſcopi ſuis Eccleſiis *Deo authore* præſideant, etiam adhiberi ab Urbano II. in privilegio, quod conceſſit Landrico matiſconenſi Epiſcopo: a Paſchali II. in epiſtola ad Joannem feſulanum Epiſcopum: a Calixto II. in epiſtola ad Nicolaum monopolitanum Epiſcopum: in epiſtola ad Dodonem mutinenſem Epiſcopum: in epiſtola ad Benedictum lucenſem Epiſcopum: ab Honorio II. in epiſtola ad Petrum feretranum

(o) L. 1. epiſt. 3. ad eundem.
(p) L. 4. epiſt. 34. ad eundem.

Epiſcopum, quam paululum inmutavit, dum privilegio, quod Burchardo meldenſi Epiſcopo conceſſerat, inſeruit: *Proinde, chariſſime in Chriſto frater Burcharde Epiſcope meldenſis Eccleſiæ! cujus a Deo tibi cura commiſſa eſt, ſalubriter ſtatuimus, &c.* Ab Innocentio II. in privilegio, quod Raymundo toloſano Epiſcopo contulit: in privilegio, quod Guilielmo bellicenſi Epiſcopo transmiſit: in epiſtola ad Joannem feſulanum Epiſcopum: in privilegio, quod Manaſſi meldenſi Epiſcopo annuit: in epiſtola ad nicienſem Epiſcopum: in epiſtolis vero, quas ad Attonem piſtorienſem Epiſcopum, & Litifredum novarienſem Epiſcopum dirrexit, eisdem prædictas Eccleſias a Deo commiſſas eſſe ſcribit: a Cœleſtino II. in epiſtola ad Joannem feſulanum Epiſcopum: a Lucio II. in epiſtolis ad Rainerium ariminenſem, & Joannem olivolenſem, Epiſcopos: ab Eugenio III. in epiſtola 10. ad Arnoldum colonienſem Archiepiſcopum: in epiſtola ad Gottifredum lucenſem Epiſcopum: in epiſtola ad Rodulphum imolenſem Epiſcopum: in privilegio Henrico bellovacenſi conceſſo: in epiſtola ad Anſelmum aſtenſem Epiſcopum: in epiſtola quoque ad Syrum januenſem Epiſcopum, quibus in locis, modo Ecclе-

cleſias a Deo Epiſcopis commiſſas eſſe, modo Epiſcopos eisdem Deo authore præſidere contendit: ab Anaſtaſio IV. in privilegio Petro maſſilienſi conceſſo, in privilegio Raymundo megalonenſi Epiſcopo impertito: in epiſtolis ad Rodulphum feſulanum & Dodonem reatinum Epiſcopos dirrectis: ab Hadriano IV. in duabus ad Henricum Gradenſem epiſtolis: ab Alexandro III. in duobus privilegiis Stephano meldenſi Epiſcopo conlatis: epiſtola 52. ad Philippum colonienſem Archiepiſcopum: epiſtola ad Stephanum monopolitanum Epiſcopum: a Lucio III. in epiſtolis ad Petrum ſigninum, & Gerardum bellunenſem Epiſcopos datis: ab Urbano III. in privilegio petragoricenſi Epiſcopo impertito: a Cœleſtino III. in epiſtola ad melphienſem Epiſcopum: Innocentius III. in epiſtolis ad Grumerium placentinum, & Gualterum lunenſem Epiſcopos exaratis: ab Honorio III. in epiſtolis ad Bennonem ſenogallienſem, ad Guidonem papienſem, & ad Monaldum foroſempronienſem Epiſcopos: a Gregorio IX. in epiſtola ad omnes chriſtiani orbis præſules: ab Innocentio IV. in epiſtola ad Joannem cervienſem: a Clemente IV. in epiſtola ad Guidonem antiſiodorenſem Epiſcopum: ab Alexandro IV.

epiſtola ad Angelum gradenſem Patriarcham; quorum omnium teſtimonia fors ad lectoris nauſeam congeſta inſigni præfati Pontificis loco concludo, in quo hucusque dicta ſequenti verborum pondere obſignat: *O formidoloſa ſpeculatorum, quos populo ſuo diſpenſatio divina præpoſuit, & periculoſa conditio! ſi res perfunctorie agatur. Si eo modo in ſolicitudine commiſſa non militent, quo ſummus præcipit Imperator. Si ſibi & univerſo gregi, cui Deus eos cuſtodes & Epiſcopos conſtituit, non attendant. Iis præcipue horrendum erit illud humanorum operum finale judicium, omnibus in commune tremendum. In quo, etſi unusquisque de proprii corporis actionibus diſtricto ſubjiciendus ſit examini, ut recipiat, prout geſſit: nobis tamen, quibus populi cura commiſſa eſt, non ſufficiet propria innocentia, ſine cumulo juſtitiæ ſubditorum: quando negligentis miniſtri pigritiam perſequens auſterus injunctæ ſervitutis exactor delicta plebis impinget reatui prælatorum ..... Excitet vel ſummi paſtoris amor, qui vos paſcendis rationalibus ovibus dedicavit.* (q) Qua in locutione omnia, quæ ad noſtrum lemma deſiderantur, verbis haud ambi-

(q) Tom. 2. Italiæ ſacr. in epiſt. Alex. IV. ad Rothomagenſ. Archiepiſc. & comprovinciales.

ambiguis comprobari vel bardus advertit. Quid enim aliud, nisi jurisdictionem proxime a Deo Episcopos accepisse, hæ quinque positiones a Pontifice adornatæ sonare valent? quibus statuit, primo: *Vos populo divina dispensatio præposuit.* Secundo: *In solicitudine commissa Episcopi militent, quomodo summus præcipit imperator.* Tertio: *Universo gregi, cui Deus eos custodes & Episcopos constituit, attendant.* Quarto: *Austerus injunctæ servitutis exactor delicta plebis impinget reatui prælatorum.* Quinto: *Excitet vel summi pastoris amor, qui vos pascendis rationalibus ovibus dedicavit.* Plura qui adhuc desiderat romanorum Pontificum aliorumve Ecclesiæ præsulum testimonia, Italiam sacram, Galliamque christianam a Sammarthiano conscriptam consulat, & præter adducta alia quoque & numero & pondere paria, sat divite manu congesta reperiet, quibus tamen singulis ob pagellarum angustias supersedendum duxi.

§. XXXIX.

Verum licet tot, tantisque tum scripturarum oraculis, tum Patrum effatis, tum ipsorum Petri successorum sententiis veritatem

tatem aliunde inconcuſſam ſtabilire contenderim, uno tamen velut impetu cl. Manſius ea delumbare atque ſubvertere conſidit, ſingula de Spiritus ſancti gratia exponens, quam in ordinatione Epiſcopi accipiunt, vel de peculiari Dei inſpiratione intelligens, qua hic præ alio ad ſingularis Eccleſiæ regimen eligitur. (r) Cui & Bellarminus ad nutum conſentit, Epiſcopos a Spiritu ſancto non immediate ſed mediate conſtitutos eſſe reſpondens (s) regularum hermanevtices quaſi oblitus, quarum hæc videtur eſſe præcipua: Scripturæ textibus tamdiu ſenſum proprium & obvium eſſe tribuendum, donec alienum vel textus vel contextus contrarius, vel Patrum commentatio, vel mens Eccleſiæ vel denique manifeſta ratio eviciſſe videntur. Quem vero alium nobis contrarii adducent ſcripturæ locum cum obvio Pauli verborum ſenſu non niſi dolo & arte combinandum? Profecto nullum hosce apud ſcriptores lego, eo minus ab ipſis ſilendum: quo fortius pro ipſorum cauſa præſtaret patrocinium.

§. XL.

(r) Animadverſ. in illam Natalis propoſ. Poteſtas Epiſcoporum immediate a Deo eſt, §. 4.

(s) L. 4, de Rom. Pontif. c. 25.

§. XL.

Sed cum novum teſtamentum ſibi Bellarminus haud experiretur propitium, ex veteri mutuavit argumentum, quod tamen usque adeo videtur peregrinum, ut, vel totam controverſiam ignorare, vel proprium jugulum perſequi, dubio careat. Quorſum enim hæc verba conliment, ut noſtras phalanges vel provocare queant? *Et dixit Dominus ad Moyſen: congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciesque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* (t) Verum quoniam vir non niſi cum reverentia nominandus in Auguſtini potiſſimum interpretatione confidit, & hanc pace noſtra in ſuppetias mittat. Circa hanc igitur notaſſe poſtulat, quod Auguſtinus illam ablationem ſpiritus a Moſe non ita contingere adſerat, quaſi ob illam ſpiritus in Moſe jacturam ferret, inde motus, quia fruſtra Moſes in ejusmodi adjutorio quæſiviſſet ſubſidium, utpote ſolum de ejus virtute

(t) Num. 11. v. 16. & 17.

tute participantibus. Quare seniorum spiritum non a Mosis virtute dividi, sed inde solum derivari contendit. Quodnam autem Augustini fuerit in ea expositione propositum, ex ipsiusmet verbis eo enucleatius dabitur intelligi: quo sincerius, juxta dialecticos, voces mentis conceptum prodere amant: sunt autem istæ: *Plerique latini interpretes, non, ut in græco est, transtulerunt, sed dixerunt: auferam de spiritu tuo, qui est in te, & ponam super eos, aut ponam in eis: & fecerunt sensum laboriosum ad intelligendum. Putari enim potest, de spiritu ipsius hominis dictum, quo humana natura completur, corpore adjuncto, quæ constat & corpore & spiritu, quem etiam animam dicunt . . . . . Posset etiam, sicut alii interpretati sunt, intelligi spiritus Dei in eo, quo dicitur: de spiritu tuo, qui est in te, ut dictum sit tuo, quia fit etiam noster, qui Dei est, cum accepimus eum . . . . . Nunc autem, cum ita ita scriptum sit: & auferam de spiritu, qui est super te, nec dictum sit: de spiritu tuo, facilior est absolutio quæstionis, quia intelligimus nihil aliud Deum significare voluisse, nisi ex eodem spiritu gratiæ illos quoque habituros adjutorium, ex quo habebat Moses, ut & isti haberent, quantum Deus vellet,*

non

non ut ideo Moſes minus haberet. (u) Hisce præſtitutis, abſit, ut Moſen romani Pontificis figuram fuiſſe abnuam, ut ipſus etiam per Moſen eundem deſignari poſtulem, pro noſtra utpote parte exinde robur adeptus. Non enim Moſes teſte Scriptura de ſuo ſpiritu ſenioribus diſtribuit, ſed ipſe Dominus eisdem Moſis ſpiritum impertiit in bonum populi Moſisque ſubſidium impendendum: ut eodem proin pacto ipſe Dominus ſpiritum Petri, quem eidem poteſtatem clavium elargiendo inſufflavit, cæteris quoque Apoſtolis ſive Epiſcopis communicaſſe merito inferatur, ipſa ſuffragante Scriptura, cum absque diſcretione eadem authoritate, qua Petrum miſerat, & cæteros miſerit, eisdemque ſicut Petro ligandi & ſolvendi poteſtatem conceſſerit. Nec aliud ſuis in expoſitionibus Auguſtinus intelligit, in utraque eundem ſpiritum cæteros quoque obumbraſſe conteſtans. (w)

§. XLI.

Alio jam cuniculo adductum ſæpius Apoſtoli monitum Franciſcus Vargas ſubvertere nititur,

---

(u) Auguſt. q. 18. in L. Numer.
(w) Conf. defenſio libelli de eccl. & polit. poteſt. L. 3. c. 5. q. 4. n. 36.

nititur, dicens: *Neque enim dicitur Spiritus ſanctus per ſeipſum Epiſcopos poſuiſſe, ut Eccleſiam regerent, id eſt, eis Eccleſiam regendi poteſtatem per ſe dedisſe.* (x) Verum ubi illud Chriſti aſſervatur teſtimonium, quo per ſeipſum Petro claves Eccleſiæ traditurum eloquitur? ut eodem proin argumento conficiam, nec Petrum de jurisdictione a Chriſto proxime accepta gloriari poſſe, cum æque nullum in Scripturis legatur Chriſti effatum, quo, per ſeipſum Petro claves Eccleſiæ commiſſurum eſſe, teſtari placuit. Quoniam igitur inſuperhabitis hisce verborum ambagibus Petri jurisdictio absque medio a Chriſto conceſſa merito creditur, cur pro aſſerenda Epiſcoporum gloria verborum apices ſolum pugnare valeant, æquioribus judicibus diſcutiendum relinquo.

§. XLII.

Nec Apoſtolici vim argumenti Auguſtini locus imminuit, quem Zaccharias in ſuis vindiciis contra Juſtinum Febronium recitat, eundem ita perurgens: *Et illud a Febronio mihi explicari velim, qua demum ratione hæc Pauli verba tantopere urgeat, cum illud Augu-*

(x) De jurisdict. epiſc. in reſponſ. conf. 9.

Auguſtini in comment. ad Pſal. 44. mihi objiciat: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii. Patres miſſi ſunt Apoſtoli: pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? Ipſa Eccleſia patres illos appellat; ipſa illos genuit; ipſa illos conſtituit in ſedibus patrum. Si enim Spiritus ſanctus immediate poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quomodo Eccleſia illos conſtituit in ſedibus patrum, ut Auguſtinus ajebat? Id Febronius ægre ediſſeret. Nos contra id Auguſtinum recte ſcripſiſſe, quin cum Paulo conflictaretur, facile oſtendemus. Spiritus enim ſanctus cum conſtituendorum Epiſcoporum tribuerit Eccleſiæ poteſtatem, vere dicitur poſuiſſe Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Eccleſia vero cum Spiritus ſancti authoritate epiſcopalem electis præſulibus conferat jurisdictionem, illos conſtituit in ſedibus patrum. (y) Eodem tamen jure, quo cl. Zaccharius ſuam expoſitionem adſtruit, & aliam Auguſtini calamus videtur admittere, ejus doctrinæ fors eo propinquiorem: quo ſæpius alibi inſinuatam. (*) Aut quid dicere vetat, per hoc Eccleſiam Epiſcopos in ſedibus patrum conſtituiſſe, quod eosdem ad

(y) Antifebron. vindic. P. 1. differt. 3. c. 2. n. 6. in annotat.

Ecclesias suorum præsulum fama conspicuas elegerit, electos confirmarit, atque hac agendi ratione episcopalis præcellentiæ exordia dederit, ita segregatos tamen illico ut patres venerata, quamprimum in sacra consecratione præsulis potestate a Spiritu sancto dotatos noverat. (z)

(*) Quæ Augustini mens circa præsentem materiam fuerit, ex ejusdem adserto, principii instar statuto, licet desumere, vi cujus & Petro, & in Petro omnibus Ecclesiæ prælatis clavium potestatem a Domino conatam esse prætendit. Huc enim illius verba conimant: *Cum omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: Tu es Christus. Et ei dicitur: Tibi dabo. Tanquam ligandi & solvendi solus acceperit potestatem: cum & illud unus pro omnibus, tanquam personam gerens unitatis acceperit.* Tract. 68. in Joan. n. 4. De agone christiano vero ita c. 30. n. 32. discurrit: *Petro figuram Ecclesiæ sustinenti datæ sunt claves, atque hinc Ecclesiæ datæ sunt. Petrus, Paulus, Joannes, ceteri Apostoli claves acceperunt, acceperunt, illæque adhuc in Ecclesia sunt. Sed omnes in Petro acceperunt, ut Ecclesiæ figura.* Quibus in locis D. Bossuet defens. declar. Cleri gallic. P. 3. L. 8. c. 13. duo ab Augustino adfirmari ostendit: potestatem nempe clavium Ecclesiæ pastoribus duplici Christi elargitione esse concessam: primum, ut unum sint,

(z) Vid. dicta §. XXXIII.

sint, quo illa vox soli Petro dicta pertinet *Tibi dabo. Quodcunque ligaveris &c.* Secundo, ut multi sint, quo illa refertur: *Quæcunque alligaveritis &c* Utraque tamen ab ipso Christo prolata, cum ille, qui dixit: *Tibi dabo*: ut uni, dixerit: *accipite*, ut multis. Præcessit tamen ea vox, qua datur potestas omnibus, ut sunt unum, quia Christus unitatem sua in Ecclesia constituit fundamentum. Tractatu 50. in cap. 12. Joan. ita denuo S. Pater perorat: *Si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claves regni cœlorum: quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælo. Si hoc Petro tantum dictum est; non hoc facit Ecclesia: si autem in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur, in cælo ligentur, & quæ solvuntur in terra, solvantur in cælo, quia cum excommunicat Ecclesia, in cælo ligatur excommunicatus; cum reconciliatur ab Ecclesia in cælo solvitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Quid vero Augustinus per Ecclesiam intelligat, L. 7. de baptis. c. 51. innuit: *Omnibus consideratis puto me non temere dicere, Episcopos ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari, super petram. . . . Quæ domus etiam claves accepit ac potestatem ligandi & solvendi, hanc domum siquis corripientem, corrigentemque contempserit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Totam igitur causam, cur Pe-

tro ſoli claves promiſerit Dominus, Auguſtinus in eo reponit, ut nempe Chriſtus ipſius apoſtolatus primatum præ cæteris oſtenderet. Non mea denuo, ſed S. Doctoris ſunt verba tract. 124. in Joan. c. 21. poſteris transmiſta: *Petrus Apoſtolus propter apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam Eccleſiæ. Quod enim ad ipſum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus idemque primus Apoſtolorum.* Atque hæc ad Auguſtini mentem perſcrutandam dicta ſufficiant, quam a noſtra opinatione eo minus abludere contingit: quo ſæpius eandem novis argumentis ſtabilire, certum exploratumque eſt.

§. XLIII.

Quibus ita conſtitutis jam illud reſponſum mere voluntarium eſſe videtur, quo Epiſcopos non immediate, ſed mediate ſolum a Spiritu ſancto poſitos eſſe dicitur, eo fere eventu: quo Apoſtolus *omnem poteſtatem a Deo eſſe* demonſtrat. (a) Diſparem enim profanæ poteſtati cum eccleſiaſtica eſſe ſortem non abnuo juris naturæ principiis perſuaſus, hominem ab authore naturæ liberum, nullique determinatæ poteſtati eſſe ſub-

(a) ad Rom. 13. v. 1.

ſubjectum: (b) & ideo ferreæ obſequendi neceſſitati jam natura duce eſſe inimicum imo hoſtem infenſiſſimum. (*) Quare profanam ſolum quoad originem, non vero quoad actualem conlationem juris divini eſſe conſequitur; quatenus ſupremus hic naturæ author hominibus in ſocietates coeundi non tam poteſtatem fecerat, quam inditis ſenſui intimo ſtimulis ceu tot argumentis ad permovendum diſertiſſimis finem huncce perſuaſerat, pro conſtituenda civitate, eaque primo in vigore eo aptius conſervanda imperii jura concedens, quæ vel ab ipſo populo ſuos in Imperantes transfundi, aut ab aliis, quos dominandi faſtus mancipia habet, temerariis licet nefandisque auſibus adripi poſſent. Ut adeo hoc in negotio tum liberarum tum coactarum civitatum æqua ſit conditio, atque poteſtatum in illis regnantium natura, utpote quoad ipſam conceſſionem ſemper humana. (c) Verum quam longe alia rerum facies, ſi de poteſtate eccle-

(b) Conf. diſſert. Borzagæ de Judice in ſtatu naturæ §. 16. & ſeqq.

(c) Conf. Magnif. Schmier Jurispr. publ. univerſ. L. 2. c. 1. ſect. 3. §. 1. Boehmer Jur. publ. ſpecial. L. 1. c. 4. §. 2. Zallwein Tom. 4. q. 1. c. 2. §. 6.

ſiaſtica ſermo recurrit, quam etiam hoc ſub obtutu divinam eſſe vel inde conſectaneum ſit, quod nullo ſub reſpectu rationalis licet naturæ particula ſit, utpote immenſa ſolum divini Deum inter & hominem mediatoris charitate non ſolum inſtituta, verum etiam injuncta atque conceſſa.

(*) Ne difficultatem propoſitam ſolum declinare videar, nolo heic politicorum adſertum multis urgere, ſtatuentium: Incircumſcriptum principibus imperium ab ipſo etiam Deo in ſubjectos ſibi populos immediate eſſe conceſſum, tota inſuper ferme Gallia in hoc propoſitum conſpiraute, atque in concilio Pariſienſi L 2. c. 25. Ludovicum Imperatorem, ut cuique jus ſuum redderet, hoc argumento perſuadente: *Nemo regium a progenitoribus regnum ſibi adminiſtrari, ſed a Deo veraciter & humiliter credere debet dari, qui dicit: meum eſt conſilium & æquitas: mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo; per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, per me Principes imperant, & potentes juſtitiam decernunt. Quod autem non ab hominibus, ſed a Deo regnum terrenum tribuatur, Daniel teſtatur . ... hi vero qui a progenitoribus regnum terrenum & non potius a Deo dari putant, illis aptantur, quos Dominus per Prophetam improbat, dicens: Ipſi regnaverunt, ſed non ex me; principes extiterunt, & non cognovi.*

cognovi. Ignorare quippe Dei procul dubio improbare est. Quapropter quisquis cæteris mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, sed a Deo sibi commissum regnum credat. Multi namque munere divino, multi etiam Dei permissu regnant. Neque novella isthæc est constitutio, quam jam sæculo III. a Tertulliano insinuari adverto, ita in suo apologet. c. 30. scribente ad imperatores: *Inde est imperator, unde & homo, antequam imperator. Inde potestas illi, unde & spiritus.* Conf. Victorinus in relect. de potest. civil. n. 8. Du Vallius de suprema rom. pontif. potest. part. 1. q. 1. Horum virorum si placitis subscribere vellem, totius argumenti robur in nostros usus merito converterem, hac videlicet philosophia usus: quod pari fato & principum & Episcoporum potestas in adversariorum sententia a Deo sit. Quoniam vero principes nullum medium Deum inter potestatis suæ authorem agnoscunt, Episcopi quoque habebunt, unde de tanta lætentur gloria.

§. XLIV.

Quoniam igitur nullum Scripturæ locum obvio Apostoli verborum sensui contrarium reperio, multo levius studium contextus parit, nostræ parti, ne favere dicam, certe non feralis: pergit enim gentium doctor:

Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus. (d) Non jam ad Petrum diſceſſurus provocat, ut hæreditatem per manuum impoſitionem ſanctificatis elargiri dignetur, ſed Dominum precatur, ut ſucceſſores, atque habitæ poteſtatis hæredes inſtituat, haud in alio quam in epiſcopali munere futuros. Aut cur Petri gratiæ potius confidat, qui ipſum Deum in ſemetipſo expertus tam benevolum? ut gloriari potuerit: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem.* (e) Ne vero quis mediante Petro ceu Eccleſiæ capite tunc jam conſtituto, eundem ſuum apoſtolatum accepiſſe, dubitare valeat, ſubjungit: *Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni & ſanguini, neque veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos: ſed abii in Arabiam, & iterum reverſus ſum Damaſcum. Deinde poſt tres annos veni Jeroſolymam videre Petrum.* (f)

Quod

(d) Actor. 20. v. 29.
(e) Galat. 1. v. 1.
(f) Loc. cit. v. 15. & ſeqq.

Quod vero non illa occasione primum a Petro suum apostolatum acceperit, sequenti capite præcludit, ajens: *Mihi, qui videbantur aliquid esse, nihil contulerunt; sed e contra cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes) & cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis.* (g) His ex testimoniis sat limpidum, si recte sentio, ducitur argumentum, nec Paulum nec Barnabam a Petri favoribus suum accepisse apostolatum, utpote illi ipsi rectius adscribendum, cui & Petrum ob concessam pastoralis curæ gloriam oportet esse gratum.

§. XLV.

SS. Patrum interpretationem quod spectat, eorum vel unum parti adversæ pernego (*) Alphonsi de Castro eruditione fretus, adseverantis: opinionem authoritati episcopali faventem omnium sacrorum do-

(g) Galat. c. 2. v. 6. & seqq.

ctorum effatis esse conformem. (h) Omnium vices Chrysostomi facundia suppleat de Eustathio Antiochiæ Episcopo ita perorantis: *Hic edoctus probe fuerat, a Spiritus sancti gratia, Ecclesiæ antistitem non de illa solum, quæ ipsi a sancto Spiritu sit commissa, curam debere gestare, verum etiam de universa, quæ per orbem terrarum degit.* (i) Ut adeo continua Patrum traditione Alexandrum IV. romanum Pontificem inductum fuisse merito autumem, ut hac tuba rothomagensis Ecclesiæ præsulibus ferale judicium omnibus in commune tremendum insonaret: Quod in sollicitudine sibi pro grege subdito commissa non militent, quamvis a Deo illius custodes constituti, atque pastoralis curæ onere pressi.

(*) Mox dicta solum circa textus Apostoli intellecta volo, quod nempe nullus Patrum illos in nostrum odium convertat: alios vero quamplurimis, quos adversarii pro se perorare contendunt, in integrum pro sua vastissima eruditione satisfacit D. Bossuet loc. cit. conf. Kales loc. cit. c. 3. §. 8. & 9.

§. XLVI.

(h) De justa hæret. punisione L. 2. c. 24.
(i) Orat. in laud. Eustathii episc. Antioch.

§. XLVI.

De ſanctæ Matris Eccleſiæ jam quid mente dicam, proprii capitis calamo tam manifeſta, a concilio tridentino tamen fors ideo non dogmatis inſtar propoſita, quia circa quæſtionem in ſcholis agitari utrinque ſolitam verſata? Quoniam vero opinio pro Petri authoritate decertans Eccleſiæ gallicanæ periculi pleniſſima eſſe videretur, imo mater fœcundiſſima, quæ nova heterodoxis arma progigneret, ſapientiſſimo conſilio eidem, teſte Claudio Fleury (k) decernere placuit: ut Joannes Sarrazin ſuas retractaret veſperias, quas inter & hanc erat legere: *Dicere inferiorum prælatorum poteſtatem jurisdictionis, ſive ſint Epiſcopi ſive curati, eſſe immediate a Deo, ſicut poteſtatem Papæ, quodammodo veritati repugnat.* Quod fatum & circa illam experiri meruit, qua dixit: *Omnes poteſtates jurisdictionis Eccleſiæ aliæ a papali poteſtate, ſunt ab ipſo Papa, quantum ad inſtitutionem & collationem.* Qua ex loquutione nova denuo arma ſuccreſcerent hæreticis, quibus inſtitutionem epiſcopatus ex jure divino prómanantem non tam impugnarent, quam everterent. Eccleſiæ proin

vota

(k) Tom. 29. ad an. Chr. 1429.

vota in hoc decreto conſpicua, ſat litteris, ſatque tabulis conſignata arbitror, ut adeo in iisdem pluribus demonſtrandis me nimis moleſtum futurum eſſe arbitrarer.

§. XLVII.

Quænam vero ſupereſſe poterit ratio, Eccleſiæ usque adeo ignota, quæ Pauli oracula, neſcio, quibus verborum atque diſtinctionum involucris perſuadeat involvenda atque limitanda? Plures equidem in medium adduci non ignoro, quarum tamen vim non reformido, utpote non vi ſed congrua expoſitione propulſandas, diſpeſcendasque. Illud igitur præprimis explicari poſtulant: num juxta Pauli verbum Spiritus ſanctus Epiſcopos vel ſuper univerſalem, vel ſingularem tantummodo Eccleſiam conſtituat, utrinque ſcopulos latere gaudentes: cum primum Petri primatum de fide certum deſtruat; alterum vero cum illius Eccleſiæ diſciplina non conhæreat, quæ non determinatæ Eccleſiæ Epiſcopos præficere conſueverat, Epiſcoporum jura ad quascunque, remotiſſimas licet barbarasque, regiones exporrigens: *Ut*, teſte Euſebio (l)

viri

(l) Hiſt. E. L. 3. c. 37.

viri ejusmodi apoſtolici munus obierint Evangeliſtarum, ac poſtquam in remotis ac barbaris regionibus fidei fundamenta jecerant, aliosque paſtores conſtituerant, ad alias gentes properarint. Cujus rei & illud quoque haberi, ajunt monumentum: quod ſequioribus etiam ſæculis plures Epiſcopi non ſolum pro aliqua civitate, ſed pro integra etiam natione fuerint ordinati. Verum Epiſcopos & pro univerſali Eccleſia, & pro ſingulis, de qua nomen ſortiuntur, a Spiritu ſancto conſtitui eo minus relinquitur dubium: quo firmius pro utraque adſertione fundamentum in eo conlocatur, quod plures Epiſcopi chriſtianæ Religionis zelatores magis eximii univerſis Eccleſiis, ſpiritualis ruinæ periculo expoſitis, ſuum paſtorale officium impenderint, nec his contenti in generalibus conciliis ut Judices in bonum Eccleſiæ univerſalis ſententias dixerint, dogmata ſtatuerint, canones ſanxerint, talique authoritate paternæ ſolicitudinis plena totius Eccleſiæ ſaluti communique eccleſiaſticæ diſciplinæ bono proſpexerint, quin tamen exinde Petri ſedes vel leviſſimum perpeſſa ſit authoritatis ſuæ præjudicium; cum ex hac agendi ratione primatus jura divino privilegio conceſſa nec minimum fuerint imminuta,

nuta, utpote in illis, quæ ad unitatem conſervandam pertinent, ſemper ſuprema. At vero Paulum illis verbis de privato potiſſimum grege eſſe locutum, ex adjectis deſumitur: *Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi . . . . . Propter quod vigilate, memoria retinentes: quoniam per triennium nocte & die non ceſſavi cum lacrimis monens unumquemque veſtrum.* (m) Suo enim exemplo eosdem ſtimulat, ut pari vigilantia a commiſſo ſibi grege lupos arceant, quam adhibere pro ipſorum ſalute per triennium die ac nocte ipſum non piguit, toto videlicet tempore, quo ipſe tanquam Epiſcopus epheſinæ præfuit Eccleſiæ. Pro eo igitur Pauli monitum decertat, ut quilibet ex præſentibus Epiſcopis parem curam commiſſo ſibi gregi impendant, quam ipſe epheſino adhibere voluit. Eam enim jam illius temporis Eccleſiæ fuiſſe diſciplinam, quod Apoſtoli novellis plantationibus, ſeu ſingulis Eccleſiis a ſe per Evangelium Chriſto genitis, proprios paſtores præficere conſueverint, ex eo datur intelligi: quod ipſe Paulus Titum ad cretenſem, Timotheum ad epheſinam, Tychi-

(m) Act. 20. v. 29. & ſeq.

chium & Trophimum ad aſiaticas, Ariſtarchum vero & Gajum Berbeum ad alias miſerit Eccleſias, quorum amplitudo poteſtatis certis terminis erat conſtricta, nec extra indigentiæ caſum ad alios protendenda, teſte Ignatio: *Epiſcopi per terminos terræ definiti, ex Jeſu Chriſti ſunt ſententia.* (n) Quo cum propoſito ſæculi VI. & VIII. diſciplina ex aſſe concordat, vi cujus illo ævo regionarios Epiſcopos conſtitutos fuiſſe adſeritur; quid enim prohibet, quo minus Eccleſiæ caput Epiſcopi poteſtatem ad integram regionem, infidelitatis tenebris immerſam, extendere valeat, ut eo feliciori ſucceſſu integram provinciam ſuaviſſimo Chriſti jugo ſubjiciat, ſubjectamque per conſtitutos paſtores in ſuo officio contineat? cum ex ſua natura aliunde epiſcopalis jurisdictio non certis conſtringatur ovibus; divino tamen conſilio certis eſt adfixa locis, ne, dum plures Epiſcopi eidem præeſſent gregi, oriatur confuſio, eo cautius præcavenda: quo amplius mutuæ paci, fideliumque ſaluti nocuiſſe conſuevit, pluresque pædagogi ſolum officium exerceant,

patris

(n) Epiſt. ad Epheſ.

patris curam negligentes, unice tamen in omnibus negotiis exercendam.

§. XLVIII.

Dum Epiſcopos nullatenus mediante Petro pro Eccleſiis ſingularibus a Spiritu ſancto poſitos eſſe ajo, illud unum jam quorumdam captum videtur transſcendere, (o) quo temporis puncto a Chriſto ſoleant jurisdictionis poteſtatem Epiſcopi derivare, cum id conſecratione tantum valeat perfici, & ne hac quidem, utpote poteſtate ordinis tantum, non jurisdictionis fœcunda; jurisdictionem enim eccleſiaſticam Epiſcopis & electis & confirmatis, absque conſecratione eſſe domeſticam non tot quin plura teſtantur Eccleſiæ decreta: ut adeo ſcepticiſmi patronus videatur, qui vel per electionem vel per confirmationem jurisdictionis poteſtatem devolvi etiam dubitare præſumit. Quare penes illum jurisdictionis conlationem reſidere facile concludunt, cujus ex arbitrio vel electionem vel confir-

(o) Conf. Antifebron. vindic. p. 1. Diſſert. 3. c. 2. n. 4. Chaiſaing Privil. regul. tract. 2. c. 1. propoſ. 1. a n. 2. Salmeron tom. 12. in Evang. tract. 72.

confirmationem perfici noſcitur; romani vero Pontificis juxta placita utrumque negotium ſemper fuiſſe abſolutum nonniſi in hiſtoria eccleſiaſtica ruditſimum inficias iturum confidunt, quamvis & hunc erroris illico ex publicis Eccleſiæ tabulis convincendum. Verum ejusmodi argumenta longe confidentius quam verius eſſe propoſiita, iisdem teſtimoniis comprobare adgediar, atque oſtendere, nec minimum partem adverſam in illis reperire patrocinium.

§. XLIX.

Aut quænam Sedi romanæ exinde succreſcet gloria, ſi jurisdictionis conlatio illius arbitrio dicatur ſubjecta, in cujus libertate, electionis ferre calculum fuerit conſtitutum? Primis certe Eccleſiæ ſæculis nullum erat romani Pontificis in Epiſcoporum electionibus ſuffragium, quos comprovincialium interventu electos fuiſſe ex Euſebio diſcimus de Dii tertii poſt S. Jacobum Hieroſolymorum Epiſcopi electione ita ſcribente: *Poſt Narciſſi fugam ignaris omnibus, ubinam gentium ageret, viſum eſt finitimarum Eccleſiarum Epiſcopis alium ejus*

loco Episcopum ordinare, nomine Dium. (p) In concilio apud Carthaginem Africæ statutum legitur: *A nobis veterum statuta debent observari: sicut & inconsulto primate cujuslibet provinciæ tam facile non præsumant multi Episcopi congregati Episcopum ordinare.* (q) * De Acholio Thessalonicensium Episcopo agens Ambrosius illum a populis macedonicis expetitum, ab Episcopis vero electum ait: *Ille se monasteriis puer dedidit, ad summum. sacerdotium a Macedonicis obsecratus populis, ab Episcopis electus.* (r) Concilium Laodicenum omnes electiones Episcoporum electiones judicio Metropolitani, & vicinorum Episcoporum terminandas esse decrevit, sanciens: *Ut Episcopi judicio Metropolitanorum & eorum Episcoporum, qui circum circa sunt, provehantur ad ecclesiasticam potestatem.* (s) Concilio Antiocheno placuit, ut Metropolita omnes provinciæ Episcopos ad electionem convocet: *quod si non omnes, plures saltem confluant, cæteris scripto electioni consentire jussis,* (t) Quo decreto

---

(p) H. E. L. 6. c. 10.
(q) Cen. 13.
(r) Epist. 59.
(s) Can. 12.
(t) Can, 19.

to motum Regienſe Concilium irritam declaravit Armentarii Ebrodunenſis Epiſcopi ordinationem, utpote in duorum ſolummodo Epiſcoporum litteris robur adeptam. (u) Haud multum abſimile Sardicenſis ſynodi videtur eſſe placitum: *Oſius Epiſcopus dixit: ſi contigerit in una provincia, in qua plurimi fuerint Epiſcopi, unum forte remanere Epiſcopum, ille vero per negligentiam noluerit ordinare Epiſcopum, & populi convenerint Epiſcopos provinciæ vicinæ; debere illum prius convenire Epiſcopum, qui in ea provincia moratur, & oſtendere, quod populi ſibi petant rectorem, & hoc juſtum eſſe, ut & ipſi veniant, & cum ipſo ordinent Epiſcopum. Quod ſi conventus litteris tacuerit, & diſſimulaverit, nihilque reſcripſerit, ſatisfaciendum eſſe populis, ut veniant ex vicina provincia Epiſcopi, & ordinent Epiſcopum.* (w) Cum inſulæ Cypri Metropolitanus ob continuas barbarorum incurſiones Helleſpontum & ſedem & populum transferre cogeretur, ſynodus Trullana æquitati conforme eſſe cenſuit, ut omnibus ille ejus provinciæ præſit Epiſcopis ab iis etiam eligendus: *Præſit*, concilii

(u) Biner adparat. evudit. P. 4. ſæc. 5. c. 5. artic. 4.
(w) Canon. 5.

lii verba ſunt *omnibus Helleſpontiorum provinciæ Epiſcopis, & a ſuis Epiſcopis eligatur.* (x) Eadem quoque africanæ Eccleſiæ erat conſuetudo a S. Cypriano in cauſa Sabini & Felicis obſervata. Perlectis enim in triginta ſex Epiſcoporum ſynodo eorum litteris, quas a ſuis quilibet Eccleſiis aſportaverat, Cyprianus hunc in modum pro ſententia dixit: *Epiſcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente .... quod & apud vos factum videmus in Sabini conlegæ noſtri ordinatione, ut de univerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum, qui in præſentia convenerant, quisque de eo ad vos litteras fecerant, judicio epiſcopatus deferatur.* (y)

(*) Per ordinationem ſæpe etiam electionem intelligi ex Can. 4. Concil. Nicæni videtur conſpicuum, in quo ſtatuitur: *Epiſcopum convenit, maxime quidem ab omnibus qui ſunt in Provincia, Epiſcopis ordinari.* Quo in loco Balſamon, Zouaras, aliisque, quos citat & ſequitur cl. Guiliel. Beveregius in notis ad hunc Canon. ſolum de electione tractari contendunt, eo quod in græco legatur *conſtitui.*

conf.

(x) Can. 39.
(y) apud du Meſnil doctr. diſcipl. Eccl. Tom. 1. L. 7. n. 32.

conf. Van Espen comment in Canon. schol. in 4. Nicæn. Becker Jur. Eccl. univ. antiq. in not. ad Canon. 155 & 166. Laodic. Thomassinus part. 2. L. 2. c. 11.

§. L.

Quoniam vero in conservandis primis Ecclesiæ moribus gallicanam Ecclesiam præ cæteris novimus studiosissimam, ad ejus disciplinam circa Episcoporum electiones observatam eo aptius provocavero: quo magis palmare argumentum ex illius testimonio mutare dabitur. Verum quid aliud, quam quod mihi propositum, in concilio Aurelianiensi II. decrevit? ubi statuit: *In ordinandis metropolitanis Episcopis antiquam institutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus ommissam. Itaque metropolitanus Episcopus a comprovincialibus Episcopis electus, congregatis in unum omnibus comprovincialibus Episcopis ordinetur.* (z) De Episcopo autem ordinario Parisiense V. legem tulit: *Decedente Episcopo in loco ipsius debet ordinari, quem Metropolitanus, a quo ordinandus est, cum comprovincialibus suis absque ullo commodo, aut datione pecuniæ elegerint.*

(z) Can. 7.

rint. (a) Cabillonenſe vero ſub Clodovæo II. inſuperhabito regio Clotarii II. diplomate electionum poteſtatem in regem transferente, nihilominus traditionis memoriam recolit: *ſi quis Epiſcopus, de quacunque fuerit civitate, defunctus fuerit, non ab alio niſi a comprovincialibus civibus & clero alterius electio habeatur.* (b) Concilium quoque Toloſanum totum electionis ſuffragium in Epiſcoporum, Cleri, & populi voluntate ponit, definiens: *Sed nec ille deinceps ſacerdos erit, quem nec clerus nec populus propriæ civitatis elegerit, vel authoritas Metropolitani, vel comprovincialium Sacerdotum aſſenſio exquiſierit.* (c) Quibus ex ſtatutis nec ipſis regum ſanctionibus infringendis, Gallicanæ Eccleſiæ ſenſa ſat perſpicue dantur intelligenda, quæ in Epiſcoporum electionibus ea ſemper libertate gaudere voluit, quæ primis fidei patribus erat familiariſſima, nec aliorum uſurpationibus perturbata.

§. LI.

(a) Can. 4.
(b) Can. 10.
(c) Can. 18.

§. LI.

Sed Patriæ insuper normam in dictis electionibus adhiberi solitam consulamus proposito nostro apprime consentaneam, quia domesticam. Germaniam vero, utpote Galliæ Principibus tributariam, etiam gallicanæ disciplinæ in ecclesiasticis negotiis adsuetam fuisse dubio caret. Sæculo tamen IX. anno videlicet 887. in concilio Colonienſi a Mindenſi Clero Drogo presbyter, in Episcopum electus fuisse perhibetur atque a concilii Episcopis inauguratus. Eadem ratione Herebertum ad Colonienſis Ecclesiæ verticem elevatum fuisse testatur Surius (d) Cum enim vacante hac sede clerus plebem in suam sententiam pertrahere haud valeret, Præpositi arbitrio compromittere detrectantem, ipsemet tandem Præpositus Herebertum prius Ottonis III. Cancellarium atque Imperatoris consilio presbyterum Colonienſis Ecclesiæ clavigerum fecit, applaudentibus illico cleri, populique suffragiis una voce, unaque voluntate expressis. Eadem quoque via S. Wolfgangum Ratisbonenſem cathedram conscendisse ex eodem authore

(d) ad diem 19. Martii c. 5.

discimus. Rejectis enim Ottonis II. operа cæteris candidatis, ambitione turgidis, ut tanto viro planior pateret aditus: *Legati profecti sunt Ratisbonam, ubi clerus & populus, ut Imperator petebat, more ecclesiastico S. Wolfgangum unanimiter elegerunt, eletumque cum Imperatoris nuntiis, ad ejus aulam dimiserunt.* (e) Uniformem hanc fuisse sæculo IX. & X. electionum conditionem, Meinverci regio sanguine clari ad Paderbornensem episcopatum promotio evincit. Ast brevi constantia defuit; Episcoporum enim electio ad hujus præfati sæculi finem, mox aliam sortita est normam, eo quod electionis prærogativa cathedralium Ecclesiarum Canonicis fuerat vendicata, clericis civibusque insuperhabitis. Sed & huic consilio, utpote in varios abusus degeneranti, mox concilium Lateranense II. fortiter resistendum duxit definiens: *Obeuntibus sane Episcopis, quoniam ultra tres menses vacare Ecclesias prohibent Patrum sanctiones, sub anathemate interdicimus, ne Canonici de sede episcopali ab electione Episcoporum excludant religiosos viros, sed eorum consilio honesta & idonea persona*

in

(e) Surius ad 31. Octob. c. 1.

in Episcopum eligatur, Quodsi excluſis eisdem religioſis electio fuerit celebrata, quod absque eorum aſſenſu & conniventia factum fuerit, irritum habeatur & vacuum. (f) Verum neque hæc Patrum conſtitutio ætatem tulit, pleno electionis ſuffragio ad capitula redeunte, atque jam ſæculo XIII. per auream Bullam Friderici II. eisdem ſtabilito. Hujus enim juxta ſtatutum Pontificis conſenſu firmatum: *Is viduatæ præficiatur Eccleſiæ, quem totum Capitulum, vel major vel ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil deſit de canonicis ſtatutis.* (g) Huic Imperatoris ſanctioni poſt diuturnum illud, notiſſimumque interregnum Rudolphus Habſpurgicus ſuum quoque calculum adjecit, roburque præſtitit; quamvis tantis licet munita præſidiis hæc eligendi libertas novas poſt breve temporis ſpatium ſubierit vices, variisque romanorum Pontificum proviſionibus, reſervationibus, gratiisque expectativis fuerit refrænata, donec tandem ea inluxit aurora, omnium votis toties expetita, cujus luce omnes erroris

 con-

(f) Can. 28.

(g) Refert hanc Bullam anno 1213. de libert. Eccleſ. conditam Cl. Riegger in Corp. Jur. publ. Eccl. German. pag. 7.

confuſionisque fugatæ ſunt nebulæ, atque perennaturæ libertatis ſerenitates immiſſæ; initis nimirum de conſenſu nationis germanicæ celeberrimis illis inter Nicolaum V. & Fridericum III. concordatis, in quibus Metropolitanis & cathedralibus etiam immediate non ſubjectis Eccleſiis canonicæ electionis libertas adſeritur, nec per proviſiones gravanda: nec per expectativas turbanda: nec per reſervationes tollenda: nec per Coadjutoriarum elargitiones aliasve diſpoſitiones præripienda, aut ſuo vigore deſtituenda. (h) Quam & P. W. per ſuum inſtrumentum innovaſſe exinde dignoſcitur; quod liberum Capitulo & quibus præterea cum Capitulo pro more congruit, tam electionem quam poſtulationem relinquat, excluſo omni hæreditatis jure, nullis temporum viciſſitudinibus inducendo. Hanc enim paciſcentibus fuiſſe mentem, J. P. Videtur innuere, cujus verba ſunt: *Poſtulati vero, ſeu electi in capitulationibus ſuis ſpondeant, ſe ſuſceptos ecclefiaſticos principatus, dignitates, & beneficia nequaquam hæreditario jure poſſeſſuros, aut id acturos, ut hæreditaria fiant, ſed libera ſit*

ubi-

(h) apud Wurwein ſubſid. rei diplom. tom. 4. & 5.

ubique Capitulo, & quibus id præterea pariter cum Capitulo pro more competit, tam electio & postulatio, quam sede vacante administratio, & jurium episcopalium exercitium: operaque detur an nobiles Patritii gradibus academicis insigniti aliæque personæ idoneæ, ubi id fundationibus non adversatur, excludantur, sed ut potius in iis conserventur. (i) Adductis nodo sat prolixe testimoniis jam illud Zachariæ argumentum elevasse confido, quo in Episcoporum electionibus primis etiam sæculis romani Pontificis (*) authoritatem interveniisse defendit; (k) cum in præstitutis modo synodis aliisque tum Ecclesiæ tum Imperii sanctionibus ejusdem nequidem memoria reviviscat, quæ tamen illico occurrit vivacissima, si de Episcopi suburbicarii electione quæstio proponitur. (l)

(*) Jam a Gregorio M. compluribus Ecclesiæ Episcopos fuisse præpositos, quos ipse dignissimos undique accerseret, ex Joanne Diacono discimus, qui lib. 3. c. 7. de Gregorio testatum reliquit: *Quod Episcopos, undecunque*

(i) Instrum. Pacis Westph. artic. V. §. 17.
(k) Antifebron. vindic. P. 1. dissert. 3. c. 2. n. 4.
(l) conf. du Mesnil loc. cit. Tom. 3. lib. 30. n. 9. Thomassinus loc. cit. P. 2. L. 2. c. 8, n. 2.

eunque meliores invenire potuit, ſtudioſiſſime ordinarit: & ſi quando neceſſitas ordinandi ſacerdotis obrepſit, neque Cardinales Eccleſiæ ſuæ neque Monachos monaſterii ſui penitus excuſavit. Quod ſi vero ad præſentes tunc temporis circumſtantias revocemus animum, neque Gregorium, nec alios Pontifices ejus ſucceſſores jus quoddam ordinarium in conſtituendis Epiſcopis exercuiſſe perſuadebimur, intelligentes: aut penuria hominum tanto culmini parium, aut ſuffragiorum diviſione, aut denique cleri populique compromiſſo ad Petri Cathedram electionis jus fuiſſe devolutum, ipſo teſtante Gregorio, atque Syracuſanæ Eccleſiæ, de bono poſt Maximianum paſtore anxiæ, hujus tenoris reſcriptum concedente: *Quam direxiſtis, epiſtola electionis vos onera ſapienter declinaſſe ſignificat. Et quoniam noſtro hoc arbitrio commiſiſtis .... deſiderii noſtri eſt, talem illic ordinare Pontificem, qui Deo placuerit, & utilior viſus fuerit.* Nunquam igitur ordinaria romani Pontificis erat Epiſcopos eligendi poteſtas. Duravit quoque hoc Capitulorum canonicorum privilegium, donec Bonifacius VIII. & Clemens V. Eccleſiæ gubernacula ſumſerunt. Primus enim Eccleſias cathedrales romano Pontifici reſervaſſe Bonifacius VIII. creditur de elect & elect. poteſt. in 6. cap. *quamquam.* Reſervationes enim Clementis IV. ſolum Eccleſias minores, perſonatus, dignitates, aliaque beneficia reſpicere videntur juxta Barboſam L. 1. Jur. Eccl.

c. 8.

c. 8. Cum prima de cathedralium Ecclesiarum reservatione mentio in Bonifacii constitutione fiat. Nec ab hoc barbosæ judicio Van-Espen dissentit P. 1. J. E. U. de elect. & nominat. Episc. c. 2. n. 4. Bonifacii mox exemplum secutus Clemens V. cathedrales Ecclesias, apud romanam curiam vacantes suæ dispositioni reservavit, in Extrav. *Etsi in temporalium* de præbend. in comm. Sicut & illas ecclesias, quæ clero populoque christiano forent destitutæ. Clem. *In plerisque.* de elect. Celebre quoque est Benedicti IX. decretum, quo irrita quatuor patriarchalium Ecclesiarum, si vacaverint, electio declaratur, si ea fuerit inconsulto romano Pontifice peracta. Extrav. *Sancta romana Ecclesia.* de elect. comm. Conformiter ad Clementis V. constitutionem non solum episcopales, sed etiam superiores sedes ipso vivente apud curiam vacaturas suo arbitrio providendas censuit Joannes XXII. Extrav. *ex debito.* eod. Tit. comm. Quod ulterius extendit Benedictus XII. *ad regimen.* de præbend. comm. Apostolicæ provisioni non solum episcopales & archiepiscopales, sed etiam parochiales ecclesias apud curiam non solum ipso vivente, sed etiam quandocunque vacaturas reservans: donec tandem res per successores Pontifices eo devenit, ut per regulam secundam Cancellariæ absque exceptione statuere placuerit, omnes omnino episcopales ecclesias, ubicunque etiam extra curiam vacaturas romanæ se-

dis

dis arbitrio esse reservatas. Quantas vero præsens propositum in Ecclesia moverit turbas, acta Constantiensis Synodi eloquuntur; quamvis per illam utpote maximam partem ad tollendum præsens schisma congregatam, necdum extinctas. Unde in Basileensi Concilio de novo oblata ecclesiarum gravamina, atque tandem pro regno Galliæ celeberrima pragmatica sanctio constituta, cujus abrogationem Pius II. a Regibus Galliæ frustra petiit, Leo X. vero a Francisco I. derogationem obtinuit, qua Episcoporum nominatio protinus Regi, eorum vero confirmatio romano Pontifici competat. Germaniæ circa præsens negotium, quæ fuerint fata, concordata inter Nicolaum V. & Fridericum III. inita, omniumque manibus obvia, satis superque promulgant. Unde inferendum censeo, nimis infirmum pro hoc argumento ex romanorum Pontificum electionibus fundamentum sterni, ut, inde Episcoporum jurisdictionem promanare, valeat evinci.

§. LII.

Neque illum, pro quo decertant finem a nostra sententia alienos, in confirmationis jure inventuros esse opinor, cum etiam circa hanc Ecclesiæ disciplinam novas continuo periodos invaluisse, omnis historia comprobat. Ut adeo nec inde limpidum quis-

quispiam possit argumentum eruere: Ecclesiarum nempe Episcopos confirmandi copiam romano Pontifici jure divino esse constitutam, cum ea, quæ divina gloriantur origine, humanæ mutationi eo minus possint esse obnoxia: quo sanius lex divina humanæ dispositioni nescitur subjecta. Vana igitur omnisque valoris expers Episcoporum foret jurisdictio, quæ absque confirmatione, a sede Petri hausta, foret exercita, arborique haud multum absimilis, quæ fructibus vacua, luxuriantibus foliis, intuentium oculos dementare non erubescit. Quem vero usque adeo emotæ mentis hominem stupere dabitur, qui illam jurisdictionem robore destitutam adserat, eo quod conditione careat, quam omnis fere Ecclesia ignorat, nec ullibi requirit, ubi Episcoporum promotionibus regulas decernit?

§. LIII.

Ne vero confidentius ista, quam verius a me jactata nonnemo suggillet, ad ipsas denuo sacræ historiæ tabulas provoco, quas eo usque mihi lætor propitias, ut, dum primi, quod ex toto orbe christiano con-

fluxe-

fluxerat, Patrum concilii decreta perluſtro, jam illud pro noſtra cauſa ſententiam dixiſſe, gloriari queam, talia utpote legens: *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui ſint in provincia, conſtitui. Si autem ſit hoc difficile, vel propter urgentem neceſſitatem, vel viæ longitudinem, per tres omnino eundem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptisque aſſentientibus, tunc electionem fieri: eorum autem, quæ fiunt, confirmationem in unaquaque provincia, a Metropolitano fieri.* (m) Inter particularia vero Carthaginenſe II. idipſum non obſtante quacunque Epiſcoporum provinciæ electione requirit: ut nulla nempe electio ſtare valeat, quæ non per Metropolitæ conſenſum ſuum fuerit robur adepta. Patrum ſenſa hiſce verbis fuere expreſſa: *Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: placet omnibus, ut inconſulto Primate cujuslibet Provinciæ tam facile nemo præſumat, licet cum multis Epiſcopis in quocunque loco ſine ejus præcepto Epiſcopum ordinare. Si autem neceſſitas fuerit, tres Epiſcopi, in quocunque loco ſint, cum Primatis præcepto ordinare debent Epiſcopum.* (n) Huic haud

(m) Conc. Nicæn. I. Can. 4.
(n) Can. 12.

haud abſimile videtur, quod Concilium Arelatenſe II. ſtatuit: *Epiſcopum ſine Metropolitano, vel epiſtola Metropolitani, vel tribus comprovincialibus non licet ordinare. Quod ſi inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, majori numero Metropolitanus in electione conſentiat.* (o) Idem fuiſſe videtur Arverni concilii placitum paria decernentis: *Epiſcopatum deſiderans electione clericorum vel civium conſenſu etiam Metropolitani ejusdem provinciæ Epiſcopus ordinetur.* (p) Aurelianenſis IV. Canon eſt: *Epiſcopus aut ſub præſentia Metropolitani, aut certe cum ejus authoritate intra provinciam omnino a comprovincialibus ordinetur.* (q) Idem quopue Metropolitanorum Hiſpaniæ erat privilegium in Tarraconenſi ſynodo illis circa ſuffraganeorum confirmationem vindicatum: *Si quis*, Canonis verba ſunt, *in Metropolitana civitate non fuerit Epiſcopus ordinatus, poſtquam ſuſcepta benedictione per Metropolitani litteras, honorem Epiſcopi fuerit adeptus, id optimum eſſe decrevimus: ut poſtmodum ſtatuto tempore, id eſt: impletis duobus menſibus ſe Metropolitani ſuâ*

(o) Can. 5.
(p) Can. 2.
(q) Can. 3.

repreſentet aſpectibus, ut ab illo monitis eccle-ſiaſticis inſtructus, plenius, quid obſervare debeat, recognoſcat. (r) Quæ vetuſtiſſima Hiſpaniarum diſciplina eo in honore fuit habita, ut a Concilio Toletetano XII. integra epiſcopales electiones confirmandi prærogativa, in ſolum Toletanæ Eccleſiæ Metropolitam fuerit conjecta atque translata. Canon hæc habet: *Licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscunque poteſtas regalis elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, in quibuslibet provinciis eligere Epiſcopis decedentibus ſucceſſores.* (s) Atque hæc conſtitutio per XIII. omnino ſæcula ſuo in vigore permanſit, ut ipſe etiam Gregorii IX. decretales eidem non ſolum deferant, ſed novis decretis robur addere adlaborent. (t)

§. LIV.

Patriæ denuo circa confirmationis negotium mores exploraturus, conventus Moguntini principes decretis Baſileenſibus cum certis limi-

(r) Can. 5.
(s) Can. 6.
(t) Conf. Joan, Eckius de primat. Petri L. 3. c. 40.

limitibus inclitæ nationi germanicæ opportunis conſenſiſſe deprehendo, quibus haud aliæ electiones, confirmationi Pontificis ſubmittebantur, quam in Eccleſiæ ruinam patriæque incommodum vergentes: nec in ædificationem amplius, quam deſtructionem diſciplinæ eccleſiaſticæ natura ſua pronæ. Adcomodatius inſuper illud noſtro intento deſervit, quo ſynodus diœceſana Friſingæ A. C. 1440. celebrata in votis ſibi eſſe proponit: ut, quos etiam Papa promoveret, confirmationem nihilominus ordinationemque ab immediato ſuperiore, cujus obedientiæ ſacramento adſtricti, efflagitare non negligant. Quoniam vero indignum, longeque inconveniens reputari cœperat, ut, quem totius Eccleſiæ Primas ad tantos honores promoviſſet, eisdem haud potiri poſſet, donec Metropolitæ confirmatio accederet, etiam confirmandi prærogativa Petri cathedra ceſſit, in ea tamen usque ad id temporis fluctuans; donec tandem A. C. 1447. ſolemni conventione per concordata Germaniæ eidem fuiſſet adſerta. Ut vero in Germaniæ Eccleſiis antiquæ (*) diſciplinæ ſaltem memoria perſiſteret, factum reor; quod Salisburgenſi Archiepiſcopo quatuor epiſcopalium Ec-

cleſiarum, nempe Chiemenſis, Seccovienſis, Gurcenſis, & Lavantinæ Epiſcopos confirmandi privilegium fuerit reſervatum, nec per concordata Germaniæ violandum: ut adeo tantum decus non abs re a Tridentinis Patribus magis admirationem quam laudem tulerit. (u)

(*) Dum juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam Metropolitanos Epiſcoporum electiones confirmaſſe ajo; non mihi propugnare animus eſt, quod nulla in eccleſiaſticis monumentis usque ad ſæculum XIII. occurrant veſtigia, pro romani Pontificis jure decertantia, cum jam ſæculo VI. Gregorius M. Dalmatiæ Epiſcopis legem tulerit, ne ullum præter ipſius conſenſum permiſſionemque Salonitanæ civitatis Epiſcopum conſecrarent. Quod vero, dum in Perſona Maximi factum audiret, inſuperhabitis ipſius ſtatutis, Maximum jam ſacra unctione delibutum, mox omnium ſacrorum celebratione interdixit, mori paratior, quam B. Petri Apoſtoli honoribus Eccleſiam ſuis diebus degenerem intueri. Idem confirmandi jus in cauſa Joannis romanæ ſedi vindicaſſe, dum Primas & Exarchus Juſtinianæ primæ fuiſſet electus, ejus ad ſynodum Illyricam teſtatur epiſtola, in qua ſcribit: *Juxta poſtulationis veſtræ deſiderium prædictum fratrem*

(u) conf. Lehmann in not. litter. German.

trem & coepiſcopum noſtrum in eo, in quo eſt ſacerdotii ordine conſtitutus, noſtri aſſenſus authoritate firmamus: ratamque nos ejus conſecrationem habere, dirigentes pallium indicamus. Pari authoritate uſus videtur Joannas VIII. qui in cauſa Hieronymi Lauſanenſis Epiſcopi Carolo Craſſo, qui ei omnes Eccleſiæ aditus intercluſerat, reſcripſiſſe legitur: *Eo vivente in alterius electione vel epiſcopali conſecratione aſſenſum nullo modo præbeibmus. Quin potius apoſtolica hoc fieri authoritate modis omnibus inhibemus.* Joannem quoque X. Hugonis Rhemenſis Archiepiſcopi electionem confirmaſſe teſtatur Flodoardus L. 4. c. 20. cui & illud meretur adjungi, quod idem author L. 3. c. 1. de Theutboldo Lingonenſis Eccleſiæ Diacono refert, quem Stephanus VI. renitente Aureliano Lugdunenſis Eccleſiæ Metropolitano Lingonenſi Eccleſiæ præfecerat. Verum & hæc & alia, quæ adhuc adduci poſſent, hiſtoriæ eccleſiaſticæ teſtimonia haud aliud perſuadere videntur, quam eas quandoque fuiſſe Eccleſiæ circumſtantias ut ille debuerit poteſtatis ſuæ ſceptra oſtendere, qui omnium Eccleſiarum in B. Petro Apoſtolorum Principe curam ſuſceperat, pro omnibus etiam exercendam, ſi orta inter fideles diſſidia alia reſpuiſſent media. Canonicæ igitur devolutionis jure gaviſus videtur Pontifex, dum extra Italiam Epiſcopos confirmavit, hocque pacto Eccleſiarum neceſſitati & utilitati providit, nec per hoc Metropolitanorum

jura usurpavit, dum eorum aut negligentiam aut improbitatem supplere debuit, alias cum tantis impendiis Ecclesiæ maceriam destructuram, eversuramque.

§. LV.

Non hunc ipsissimum jugiter eligendi & confirmandi jure in Ecclesia potitum fuisse, ea, quæ largiori vola effudi, ecclesiasticæ historiæ monumenta sat diserto ore eloqui videntur. Sed jam illud insuper eliquati juris esse, nemo unus elevabit: ab uno videlicet eodemque omnes totius orbis Episcopos jurisdictionis suæ eminentia dotari, præfocato illo superbientis animi fomite, quo quidam adusti gloriari possent: *Ego sum Pauli: Ego autem Apollo: Ego vero Cephæ.* Non alia certe philosophia de sortis æqualitate convincendi, nisi omnes Jesu Christi esse, fuerint edocti. Quisnam igitur vel solo naturæ lumine conlustratus, huic placito adsurgere poterit, ut omnem potestatis suæ ambitum vel per electionem, vel per confirmationem conlatam esse adseverare non dubitet? Cum utrumque persæpe negotium vel ab Episcopis vel Metropolitis & Patriarchis peractum fuisse eo certior esse poterit: quo

soler-

folertius antiquæ diſciplinæ monumenta inveſtigarit. Ut adeo tam disjuncta conjugandi ea ſolum peritia ſufficere poſſit, quæ tum ordinis, tum jurisdictionis a cæteris presbyteris differentiam ab ipſo Deo in conſecratione concedi comprobarit. (w)

§. LVI.

Conſtitutio tandem præſenti principio, me nec monente, illud conſectaneum fieri auguror; illam quam electus vel confirmatus ſolum in futura ſponſa exercet Eccleſia, jurisdictionem delegatæ prorſus eſſe conſimilem, Papæque procul dubio favoribus tribuendam, qui eam quamvis olim per X. omnino ſæcula ignotam (*) per confirmationem neoelecto dignatur concedere, eo ferre modo: quo Epiſcopo vita functo in Germania illam cathedralia exercent capitula; quin ullus hucusque tam rudis emerferit, jure divinitus conceſſo tanta cathedrale capitulum poteſtate gaudere adfirmans. Non igitur eandem repetitis vicibus, quod Zachariæ dubium eſt (x) po-

 teſta-

(w) conf. §. XXXIII.
(x) loc. cit.

teſtatem Epiſcopus ſibi per conſecrationem in noſtris principiis adglomerat, principii adinſtar habentes: omnem Epiſcopi jurisdictionem alio quam conſecrationis alveo transfuſam, ab ordinaria atque ab ipſo Chriſto tantæ dignitati conſtituta, prorſus eſſe alienam, quin immo aliis inſuper, quamvis nec electis nec confirmatis communem ac familiarem.

(*) Per XII. & amplius ſæcula Epiſcoporum conſecrationem a confirmatione non fuiſſe ſejunctam Van Eſpen P. J E. U. tit. 15. c. 1. ſat fuſe demonſtrat. Durante igitur hac diſciplina electus nullum jus circa Eccleſiæ adminiſtrationem ſibi arrogare poterat; imo nec Eccleſiæ paſtoris aut prælati æſtimationem, niſi conſecratione peracta, ſibi pepererat. Quare per conſecrationem omnis devolvebatur poteſtas tum ad ordinem adminiſtrandum, tum jurisdictionem exercendam neceſſaria.

§. LVII.

Ne vero ullus ſaniori quam academico locus relinquatur dubio, illud jam meridiana in luce conſtitui ordo doctrinæ poſtulat: jurisdictionem nempe conſecrationis privilegio adquiſitam haud egenam, inanem, neque fruſtaneam eſſe, prout

illam

illam nonnullis ridere placet, eo cum primis ex capite, quod populo careat, cui paſtoralem curam impendere poſſit. Huic argumento ut majus inſuper robur addant, plura ex eccleſiaſtica hiſtoria conquirunt monumenta, viros de Eccleſia amplius meritos nom urbis alicujus, ſed honoris cauſa epiſcopali conſecratione ornatos fuiſſe adfirmantia. Teſtem veritatis præ cæteris provocant Sozomenum qui de Berſen & Eulogio ſcribit: *Hi ambo poſt creabantur Epiſcopi non urbis alicujus ſed honoris cauſa, qui velut vitæ piæ anteactæ compenſatio in propriis Monaſteriis illis deferebatur, ad quem modum Lazarus quoque, de quo ſupra diximus, Epiſcopus fuit.* (y) Majorem tamen authoritatem huic argumento, quantum mihi ſapere datum, ejusmodi facta parerent, quibus hujusmodi Epiſcopos nequidem ordinis ſacramentum contuliſſe conſtaret, ne quis amplius juſto frivolus, jam per hoc jurisdictionem illos exercuiſſe, obtendere poſſit, quod ſacri ordinis ſacramentum adminiſtrarint, haud aliis ab Epiſcopo juxta canonicas ſanctiones conferendum quam conlatoris jurisdictioni quocunque titulo ſubjectis. Verum

(y) Hiſt. Eccl. L. 6. c. 34.

his ſolum per abundantiam dictis in eo potius confidimus, quod ejusmodi conſecratio haudquaquam jurisdictione fuerit vacua, utpote ſicuti cæteris urbis cauſa conſecratis pleno alveo immiſa, atque conceſſa. Quod enim ejusmodi Epiſcopus proprio careat populo, obſcurum ſane abſentis jurisdictionis ſignum eſſe vel inde dignoſcitur, quod juxta ipſos adverſæ ſententiæ Patronos quilibet presbyter poſt ſacram ordinationem vera jurisdictione gaudeat, quamvis in ejus exercitio impeditus, usque dum a proprio paſtore certa gregis portio aſſignetur, in quam illius vim exercere valeat, quin per hanc plebis deſignationem dicatur conferri, utpote jam per manuum impoſitionem impreſſa, atque communicata. Unde jam inferendum duco, etiam Epiſcopos jam per ſacram conſecrationem omni poteſtate epiſcopali ſpectata ipſius eſſentia ditari, quamvis ejus exercitium usque ad plebis adſignationem maneat impeditum ſuoque fine deſtitutum.

§. LVIII.

Argumentum iſtud ex paritate cum ſacramento ordinis inſtituta conluſtratum, cum ni-

nimium palmare videretur, a noſtra adſertione remotis, omnibus illud viribus infringere adlaborant, atque ut veluti clavum clavo pellerent, etiam presbyteris jurisdictionem in corpus Chriſti myſticum non per ſacram ordinationem, ſed per Epiſcopi conceſſionem conferri ajunt, illo ducti momento, quod Epiſcopi penes arbitrium ſemper fuerit pœnitentiæ fori ambitum vel pro libitu extendere, vel placitos intra fines conſtringere, eo fere modo: quo illud concedere vel obſerare unice ex Epiſcopi beneplacito dependet, fruſtra procul dubio obniſuri, ſi divina jam authoritate non prohibendum patere aditum noſceretur. Quare idem quoque Epiſcoporum fatum eſſe adfirmant, cum & horum jurisdictionem variis mutationibus ſedis apoſtolicæ juxta placitum inducendis, obnoxiam eſſe, vaticana fulmina in meridiana luce conſtituant: ut adeo Epiſcoporum jurisdictio etiam conſecratione peracta cuicunque diſpoſitioni romani Pontificis cedere non detrectet, utpote cujus in poteſtate poſitum, quosnam eidem terminos conſtituere, num vero eandem omnino ſuo effectu fruſtrare velit, ipſis etiam tridentinis Patribus pro hac tacita conventione Pontificem inter cæteros-

que Epiſcopos ſuos calculos adjicientibus, ſummoque Pontifici quorumdam caſuum abſolutionis ſibi reſervandæ poteſtatem vindicantibus. (z) Quales profecto limites poteſtas divinitus collata haud ſuſtineret, niſi ea divino authori placuiſſet œconomia, vi cujus non ſolum ipſa epiſcopalis jurisdictionis ſubſtantia, ſed determinatus inſuper modus ex arbitrio Petri dimetiendus ipſius mediante miniſterio transfunderetur.

§. LIX.

Verum enimvero hæc ſi philoſophia ſtringit, idem quoque argumentum Petri ſucceſſoribus ferale erit, quorum jurisdictio teſte eruditiſſimo Gerſone (*) non ſolum mutationi, ſed ceſſationi etiam eo certius creditur ſubjecta: quo divinæ inſtitutioni conformius eſſe claves non uni ſed unitati commiſſas eſſe demonſtrat. Unde fluit, ſolum poteſtatis a Chriſto conlatæ exercitium humanæ diſpoſitioni eſſe ſubditum, quo non obſtante ipſa jurisdictio privilegio divinitus conceſſo ordinata eſſe poterit, ſacerdotalis ordi-

(z) Seſſ. 14. c. 7. de pœnit.

ordinis adinſtar, quem ab ipſo Chriſto in ſacra ordinatione conferri nec ille inficias ibit, qui eum etiam ſuſpenſione aliave cenſura ecclesiaſtica ſuo exercitio privari noverit. Licet proin poteſtas ordinis nullius hominis temmerario auſu poſſit imminui, auferri, neque etiam amplificari, cuicunque tamen eadem ditato illius exercitium prohiberi poſſe, omnis Eccleſia perorat, ad compeſcendos quoscunque diſcolos poteſtate ligandi inſtructa: ut adeo eadem prorſus ſit epiſcopalis jurisdictionis conditio quam ullo ſub reſpectu ab Epiſcopo legitime conſecrato auferri poſſe qui adſeruerit, vel exinde erroris convincitur, quod ſuæ ſedi ſaniora cogitans reſtitutus haud nova jurisdictione indigeat, propria utpote in epiſcopali conſecratione conlata etiam quoad exercitium reviviſcente, quam ſolum in bonum Eccleſiæ exerceri Chriſtum præcepiſſe vel inde datur intelligi, quod Petrum conſtituerit unitatis vinculum, nullius privata improbitate rumpendum, verum per exactam ſubordinationem circa negotia unitatem ſpectantia, ſtrictamque in illis a Petri cathedra dependentiam continuo in primæva integritate retinendum, conſervandumque. Propter quod ea nobis ſem-

per

per insedit opinio, ut Episcoporum jurisdictionem, quam quoad conlationem mediante consecratione a Deo infundi dixi-
mus, nihilosecius in suo exercitio Petri favoribus tributariam esse fateremur: qua dicendi methodo & illa potestatem ordinis inter & jurisdictionis differentia facilem sortitur explicatum; inde enim fieri auguror, quod ea, quæ etiam potestate ordinis impedita fiunt, nihilominus suum nanciscantur effectum, irrito tamen conatu Episcopo suam jurisdictionem exercente, quam vaticanis vinculis constrictam esse contigerit, cum ad illius effectum non mera potestas sufficiat absque subjecto, in quod illam exerat, eo denuo modo, quo & ordinis potestas absque materia cassa atque irrita habetur. Quoniam igitur plebis consignatio posterioribus temporibus (**) in plerisque provinciis Petri memoriæ fuerat vendicata, etiam jurisdictionis exercitium inde mutuari accidit, quin tamen ipsa potestas ex eodem fonte aquas hauserit: nisi quis dixisse amet, etiam ordinis potestatem illius benevolentiæ tribuendam esse, qui sacrificii materiam a Christo determinatam suppeditarit, cum hac quoque absente nemo Christi personam sustinere cum optato successu poterit, deficiente

nimi-

nimirum illa conditione, qua non adimpleta ſacrificii quoque rationem deficere neceſſum habet.

(*) Dum celeberrimus Gerſon libellum: *de auferibilitate Papæ ab Eccleſia* inſcripſit, illius mens nullatenus fuit oſtendere, ipſum Papatum ab Eccleſia eliminari poſſe; conſider. 20. enim ſcribit: *Auferibilis non eſt usque ad conſummationem ſæculi vicarius ſponſus Eccleſiæ quin aliquis certus & unicus præficiatur, & hoc lege ſtante, & mundi duratione longiſſima. Detur oppoſitum, tunc Eccleſia maneret imperfecta usque ad conſummationem ſæculi, nec ſuorum gauderet integritate membrorum & præſertim membri principalis.* Unde illud unum Gerſonis fuiſſe videtur propoſitum, romani videlicet Pontificis poteſtatem non usque adeo eſſe expeditam, quin graviſſimis ex cauſis ab Eccleſia vel Concilio generali uni auferatur, mox tamen alteri communicanda, *alioquin poſſet Eccleſia permanere jugiter ſine ſummo Pontifice, quod fieri nequit lege ſtante.* Ut ait loc. cit. conſid. 6. Modum vero, quo removendus foret Pontifex, dignum tali pæna crimen admittens inſinuant Thomas Illyricus, & Thomas Cajetanus, Theologi ſolidæ doctrinæ fama notiſſimi.

(**) Non eam ſemper fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam, ut romanus Epiſcopus novos epiſcopatus erigeret, plebemque deſignaret, ex Eccleſiæ monumentis diſcimus. Exiguam Saſimo-

rum urbem a S. Basilio cæsariensi in Cappadocia Archiepiscopo in episcopalem sedem erectam esse, eidemque Gregorium Nazianzenum præpositum fuisse Baronius testatur ad ann. 371. n. 90. & 91. Idem a Nicææ Episcopo Basinopoli actum fuisse, quam episcopatum instituerat, ex act. 13. concilii Chalcedonensis conligitur. Sub finem concilii ephesini libellus legitur a duobus Europæ in Thracia Episcopis oblatus, a synodo postulantibus: ut sua ipsis vetustissima omnique hominum memoria prior conservaretur possessio, modo tamen ab Heracleensi Metropolita Nestorii partes secuto atque cuivis provinciæ novum Episcopum ordinaturo certo certius imminuenda. Ex quibus denuo Metropolitæ potestatem metiri licet. Cum in Sardicensi concilio viros quærerent, in quos pastoralis sarcinæ partem exonerarent, eorum tamen institutio, non romani Pontificis, sed provinciæ Episcoporum arbitrio relicta est, juxta canon. 6. ita ex editione græca in synodo lectum: *Provinciæ Episcopi debent in iis urbibus Episcopos constituere, ubi etiam prius Episcopi fuerunt. Si autem inveniatur urbs aliqua tam populosa, ut ipsa Episcopatu digna censeatur, accipiat.* In ea tamen lege observanda minus forte religiosi erant Africæ Episcopi, existimantes: contra solos orientalis Ecclesiæ præsules sardicensem Canonem esse statutum, atque Tyrii concilii Episcoporum vitio tribuentes, utpote Ischyræ manus impo-

ponentium, qui pagi ſolum Presbyter erat, cui teſte Athanaſio apol. 2. ne Corepiſcopus unquam præerat; dicit enim: *Ager eſt Alexandriæ, in quo loco nunquam Epiſcopus fuit, imo ne Corepiſcopus quidem. Nihilo tamen minus Iſchyram, qui ne Presbyter quidem erat, hujus pagi præter majorum traditionem Epiſcopum appellaverunt.* Habita ſolemni illa Alipium inter & Petilianum de Epiſcoporum controverſia & ambabus hinc illincque partibus eorum per agros villasque diſperſionem obtrudentibus, collat. 1. n. 181. & 182. altercationi Carthaginenſe II. can. 5. finem impoſuit ſaluberrimo decreto conſtituens, ne vicis præficiantur Epiſcopi prius non tanto honore beatis: quos vero auctus fidelium numerus civitatibus æquaverit, a Metropolitano rectorem accipiant, ejus tamen conſenſu, ſub cujus diœceſi paræcia fuerit conſtituta, ſtabiliendum: *At diœceſes, quæ nunquam habuerunt Epiſcopos, non habeant. Et illa diœceſis, quæ aliquando habuit, habeat proprium. Et ſi accedente tempore creſcente fide populus Dei multiplicatus deſideraverit proprium habere rectorem, ejus videlicet voluntate, in cujus poteſtate diœceſis eſt conſtituta, habeat Epiſcopum.* Nec romanæ ſedis authoritatem interveniſſe Auguſtinus vel verbo innuit Fuſſulani caſtri epiſcopatum quadraginta paſſuum millibus ab hyponenſi civitate diſſitum excitans, atque felicem operis ſucceſſum Numidiæ Primatis benevolentiæ epiſt. 261. quæ eſt ad Boni-

facium comitem, adſcribens : *Cum me videre latius, quam oportebat, extendi, nec adhibendo ſufficerem diligentiæ, quam certiſſima ratione adhiberi debere cernebam, Epiſcopum ibi ordinandum, conſtituendumque curavi. Propter quem ordinandum ſanctum ſenem, qui tunc Primatum Numidiæ gerebat, de longinquo, ut veniret, rogans, litteris impetravi.* Primus igitur, quem lego, omnium Cœleſtinus Hybernis ordinavit Palladium, de quo S. Proſper adverſ. collat. ſcribit: *Ordinato Scotis Epiſcopo, dum romanam infulam ſtudet ſervare catholicam, fecit etiam barbaram chriſtianam.* Cujus exemplum poſterioribus temporibus ita imitari placuit: ut nulli epiſcopatus, niſi de conſenſu Papæ, Metropolitani, Synodi, imo etiam Principis territorialis erigerentur, tribus omnino ſæculis hoc ad propoſitum ſuffragia ferentibus. Teſtem appello præter exempla a Petro de Marca L. de concord. ſacerd. & Imp. l. 4. c. 13. & a Thomaſſino V. & N. eccl. diſcipl. P. 1. L. 1. c. 55. adducta, continuam imo & ab origine ductam patriæ conſuetudinem. Quem enim alium in finem Gregorius II. Bonifacium Germaniæ Epiſcopum conſtituens, atque infideles hisce in finibus latentes chriſtianæ fidei luce conuſtraturus tam anxias illico ad Carolum majorem Palatii Franciæ regum, apoſtolicos in Chriſto Epiſcopos, ac duces, & comites dedit litteras, niſi ut Germaniæ Apoſtolum regia authoritate ſuis in laboribus ſubcollarent atque protegerent?

Qua

Qua ſubfultus Bonifacius Bavariam mox in quatuor Epiſcopatus diviſit, Salisburgenſem videlicet, Friſingenſem, Ratisbonenſem, Patavienſem, uti conligitur ex epiſtola Gregorii III. ad eundem Bonifacium, quam recitat Baronius ad an. Ch. 739. n. 1. & 3. in qua ita Pontifex ſcribit: *Cum ex conſenſu Otilonis ducis eorundem Bojariorum ſeu optimatum provinciæ illius tres alios ordinaſſes Epiſcopos, & in quatuor parochias provinciam illis diviſiſſes, ut unusquisque Epiſcopus ſuam habeat parochiam, bene & prudenter peregiſti.* Cum vero indies fidelium numerus incrementa ſumeret, Bonifacius mox novos Epiſcopatus inſtituit: Herbipolenſem videlicet, Buraburgenſem, Erphesfurdenſem, & Eiſtettenſem, qua in urbe Epiſcopum conſecravit S. Villibaldum, accedente Carolomanni principis conſenſione, ita in ſynodo germanica an. Chr. 742. juxta Baron. & Natal. Alex. juxta Thomaſſin. vero 743. perorantis: *Ordinavimus per civitates Epiſcopos & ſuper eos conſtituimus Archiepiſcopum Bonifacium.* Quare ſi jam illud pugnaret argumentum; nempe jurisdictionem per plebis conſignationem devolvi ajens, eadem conſecutione conſectaneum fieri arbitror, eandem non tam romano Pontifici, quam Metropolitis, imo hujus mundi Principibus eſſe in acceptis referendam, quorum juxta placita epiſcopatuum diviſiones ſæpius factas fuiſſe Eccleſiarum monumenta non obſcuro indice

produnt. Plebis igitur consignationem solum præviæ conditionis adinstar requiri eo solemnius eloquimur; quo ante consecrationem Episcopos solum jurisdictione delegata pollere, indubitatius est; prudenti etenim romanorum Pontificum æconomiæ præprimis Cœlestini III. cap. 15. de elect. adscribendum venit, ut neoelecto Episcopo per confirmationem jurisdictionis exercitium concederetur, eo studiosius in bonum sponsæ suæ Ecclesiæ mox futuræ exercendæ: quo amplius eidem per acceptatam confirmationem fuerit devinctus. His enim insuper habitis juxta rituale Gregorii M. primum chrismate delibuto dicitur: *Tribuas ei Domine cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam, & plebem universam.* Quæ verba suo frustrari effectu nemo non advertit, si ante consecrationem episcopalem jam plenaria & ordinaria potestas jurisdictionis foret. Conf. §. LVI.

§. LX.

His jam, quantum licuit, complanatis, ad illud tridentinorum Patrum decretum protinus debetur responsio, eo leviori brachio impertienda: quo solidior ab ipsissimis Patribus est insinuata. Sola igitur verborum recitatione illam absolvo, quæ ita invenio ordine disposita: *Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis*

mis

mis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibusvis, ſed a ſummis duntaxat ſacerdotibus abſolverentur. Unde merito Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in univerſali Eccleſia tradita cauſas aliquas criminum graviores ſuo poterunt peculiari judicio reſervare. (a) Quis enim hasce reſervationes a Patribus primum conceſſas vel ſaltem adprobatas fuiſſe dubitare poterit decreti verba æqua lance ponderans? ſicut idem circa beneficiorum reſervationes contigiſſe Thomaſſinus (b) memorat: ut illam Lovanienſium & Colonienſium Theologorum reſiſtentiam vel commemoraſſe pigeat, totum negotium, tanquam rem non perſpicuæ veritatis contemnentium. (c) Verum utraque hac reſponſione miſſum facta, vel ideo, quia neutra Petri cathedræ ſat videtur eſſe devota, illud unum ex cl. Zallwein notaſſe juverit: (d) reſervationem caſuum graviorum tanquam rem majoris momenti a concilii Patribus inter cauſas majores eſſe relatam, quarum judicium ceu pon-

(a) Loc. ſupr. cit.
(b) Tom. 2. P. 2. L. 3. c. 24.
(c) Conf. Petri ſuavis Polani hiſt. trident. L. 4. in edit. nov. pag. 426.
(d) Tom. 1. q. 4. c. 3. §. 4.

absque involucris Pontifex indigitat, ex aureo Cypriani libro procul dubio hauſtam, atque veluti compendio expreſſam: *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis pars in ſolidum tenetur.* (g) Continuis quoque idipſum Eccleſiæ moribus comprobatum habemus, Epiſcoporum videlicet in conciliis coadunatorum ſuffragia absque amplioris gregis reſpectu æſtimari, nec ullam hujus vel illius diœceſeos rationem haberi, teſtante Hieronymus: *Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis ejusdem meriti, ejusdem eſt & ſacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.* (h) Nec ordinis igitur nec poteſtatis inter Epiſcopos reperitur differentia; utrumque etenim privilegium ex eo, quod Apoſtolorum ſucceſſores ſint, mutuantes. Quæ proin prærogativa, cum omnibus Epiſcopis ex æquo reſpondeat, omnes quoque pari gloria conſpicuos eſſe cl. Riegger concludit,

(i)

(g) L. de unit. eccl. cujus ſummam refert Gratian. XXIV. q. 1. c. 18.

(h) Epiſt. ad Evagr.

(i) eo certius: quo minor inter Apoſtolos ab ipſorum Magiſtro concedebatur præcellentiæ æmulatio, parvuli exemplo condemnata, (k) ut ita ad ſimplicitatem infantium reverſi, atque in ea conlocati ſpeciem humilitatis dominicæ circumferrent, gloriam ſuam non ex amplis poteſtatis conceſſæ finibus, ſed ex miniſterio etiam minimis impendendo petituri. Vanus igitur omnis murorum circuitus, turriumque licet altiſſimarum numerus: infirma omnis parœciarum copia: nec fortior plurima ſubditarum ovium caterva, ut hæc incrementa ſumens etiam Epiſcoporum poteſtati incrementa tribuat, aut illa deficiente hæc quoque deficiat; proveniente utpote atque redundante omni Epiſcoporum præeminentia ex apoſtolicæ ſucceſſionis prærogativa, non pro ſingulis diverſa, ſed in omnibus ipſiſſima, vi cujus Eccleſiæ cura, ſingulis Apoſtolis divinitus præcepta, ad eos hæreditario jure devolvitur; tranſeunte quoque onere, ut pro tota Eccleſia vigilent, ſuumque miniſterium impendant, quamvis præcipuo titulo pro grege ſingulariter concredito ſpeculatores conſtituti, atque præordinati.

(i) Inſtit. Jurispr. eccl. P. 1. ſect. 1. c. 7. §. 85.
(k) Matth. 18. v. 4.

§. LXIII.

Proletariam optimo jure illam modo consecutionem dixero, vi cujus ex præstituta episcopalis potestatis æqualitate vanum atque egenum romani Pontificis primatum esse concluditur; cujus tamen revérentiam tot scripturarum oraculis Patrumque effatis celebrari contingit. Absit enim, ut vel latum, quod vetus habet verbum, unguem a tritis Ecclesiæ Patrumque vestigiis recedamus, Petrique honoribus non illam omnem præcellentiæ dignitatem vindicemus, quæ ad unitatem conservandam commissa creditur, utpote cum Cypriano dogmatis instar habentes: *Quamvis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittuntur eis: Si cui retinueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit . . . . . Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* (1) Hac enim non obstante prærogativa in uni-

(1) Loc. cit.

unitate fundata, quoad cætera eadem Episcopis Ecclesiam gubernandi potestas adtribui potest. Salva igitur est in nostris disciplinis statuta a Leone M. discretio potestatis: *Uni tantum datum esse*, ajente, *ut cæteris præemineat.* (m) Eminet profecto præ cæteris Episcopis Christi in terris Vicarius, dum non ex benevolentia hominum, sed divino potius ex instituto eidem defenditur *Jus petendarum recipiendarumque relationem, & appellationum, ad servandam unionem fidei. In terminandis fidei controversiis partes ejus inter cæteros Episcopos præcipuæ. Jus convocandi concilia, iisque præsidendi, celebrataque confirmandi. Jus primario defendendi causas fidei. Jus tutandi, vindicandique observantiam canonum per omnes Ecclesias. Jus ferendi leges disciplinares universales.... Jus relaxandi Canones conciliorum etiam generalium in casibus particularibus, in quibus nempe concilia ipsa legis gratiam facerent secundum dispensationum regulas in conciliis præscriptas. Jus devolutionis supremum, quo Pontifex romanus descisentes ab officio prælatos*

ad

(m) Epist. 14. in quo vero hæc Petri præ cæteris Apostolis præeminentia consistat, sat bene explicat D. de Marca dissert. select. de sing. Primat. Petri §. 7. & seq.

ad muneris expletionem revocare, & ita negligentiam eorum ſupplere valeat, ſalvis tamen devolutionibus intermediis. (n) Quæ proin privilegia, cum ſoli romano Pontifici ceu legitimo Petri ſucceſſori concedamus, diſcretionem quoque poteſtatis nos venerari non niſi livor inficias ibit. Celebriora vero prædicare cur non liceat, inde cauſam petimus: quod Petrum ea quoad Apoſtolos, quorum ſucceſſores Epiſcopos diximus, exercuiſſe nullis Eccleſiæ tabulis conſignatum habeamus, certe non reticendis, ſi eas digito Dei ſcriptas fuiſſe conſtaret.

§. LXIV.

Apoſtolica ſucceſſio proin illud argumentum eſt, quod nec evigilatiſſimis conſiliis delumbari patiemur, probe gnari: hoc evigorato totius ædificii noſtri fundamenta nutare, ipſosque angulares ſapides ſuo nexu diſſolvi, illis eo fortius innixos: quo firmiori fiducia omnibus inſultibus ſuperiora fore perſuaſum habemus. Porro tantæ efficaciæ cum ſucceſſio quædam ſimilitudinaria eſſe haud valeat, illam ad metapho-

ram

(n) Synopſ. Jur. eccl. quæ per terras hæredit. Auſtriac. obtinet, pag. 18.

ram detorquere, eo abjectiora animi ſenſa prodit: quo turpiorem violentiam SS. Patrum effatis nuper recitatis (o) inferri contingit. In hanc enim partem ſi Patrum ſententias exponere placet, romanum quoque Pontificem non in officii, perſonæque excellentia Petro ſucceſſiſſe cum Calvino (p) mentiar, utpote eodem jure Patrum, ipſiusqu Eccleſiæ decreta ſolum de quadam ſimilitudine atque proportione intelligenda eſſe ariolatus. Vera igitur quibus non placet ſucceſſio, Eccleſiam quoque metaphoricam ſtatuant, oportet; cum ea, quam Chriſtus inſtituit, ſuisque in paſtoribus repræſentatur, ſolum per proportionem quandam ſeu ſimilitudinem exiſtere adfirmatur, qua aſſertione quid infelicius vel excogitari poſſit, omnis bonus ignorat.

§. LXV.

Horſum neutiquam diſputata volo, illa quoque privilegia ad Epiſcopos tranſiiſſe, quæ Apoſtolis non ut Epiſcopis, ſed ut primis Eccleſiarum fundatoribus erant divinitus conceſſa, neque prudenti Eccleſiæ admini-

(o) §. XXIX.
(p) Inſtitut. L. 4. c. 3.

miniſtrationi, niſi fors ad tempus, fuerint neceſſaria. In his enim, ut Eſpenii verbis utar, (q) Apoſtolorum proprietatibus nulla datur ſucceſſio ordinaria in Eccleſia: fuerunt enim dona & privilegia apoſtolatus proprie dicti, in quem Epiſcopi non ſucceſſerunt. Succedunt igitur Apoſtolis in eccleſiaſtici regiminis miniſteriali poteſtate; nequaquam vero in hoc, ut ſint teſtes vitæ, doctrinæ, & reſurrectionis Jeſu Chriſti; neque in eo, quod vivæ vocis oraculo a Chriſto eligantur, atque Evangelio prædicando prædeſtinentur: quibus alias quoque prærogativas oportet adjungere, uti Spiritus ſancti copiam, doctrinæ infallibilitatem, plenitudinem ſcientiæ, donum linguarum & miraculorum &c. Omnia enim gratiarum dona Apoſtolis communia etiam ad poſteros eſſe transfuſa, abſit, ut vindicemus, ultro in negantem partem provolantes; ſi de illis ſolum quæſtio propoſita ſit, quæ adoleſcenti ſolum Eccleſiæ fuerunt neceſſaria, quamvis quoad cætera, etiam adultæ opportuna, mox in porta loqui geſtiamus, eisdem non ſolos Apoſtolos, ſed modernos que Eccleſiæ prælatos gloriari, ajentes.

§. LXVI.

(q) P. 1. I, E. U. tit. XVI. c. 1. n. 8.

§. LXVI.

Circa illud jam pugna ancipiti adhuc hæret alea, quarum in numero ea reponenda prærogativa veniat, vi cujus Apoſtolos divino authore non tam quoad inſtitutionem, quam ipſam conationem ſuæ jurisdictionis lætari exploratum eſt. Sunt enim, quibus Chriſti dignationem inter prærogativas ſolis Apoſtolis proprias referre placet, eodem argumento illam cum Apoſtolis deficiſſe concludentibus, quo donum linguarum, Spiritumque diſcretionem ad cæteros Epiſcopos nunquam devolutum eſſe conficiunt, quos circa poſterius poſita privilegia ipſa rerum magiſtra ſtatuminat experientia, eadem eloquentia pro hoc negotio perorans, qua contrarium teſtimonium non niſi ex remotiſſimis temporum epochis repetendum eſſe oſtendit, ex ipſis videlicet Eccleſiæ cunis mutuandum, cumque illis dilapſum. Quos ita arguere contingit, equidem tanquam in venerandiſſima Patrum oracula magis officioſos veneror, eisdemque verborum perſpicuitatem adſenſum veræ propriæque ſucceſſioni præſtandum ſubfuratam eſſe gaudeo; quamvis & hos, neſcio, quo glaucomate laboraſſe dixero, ut nativa ipſis,

in-

inque cæteris disciplinis perspicacissima oculorum acies intercepta fuerit: quo minus divinæ institutioni consentaneum discrimen inter Apostolorum privilegia decernerent, arbitraria a necessariis dispescerent, segregarent. Pristinis enim insistendum duco principiis vel ideo: quia veritati sacramento junctis, quorum sub ductu Episcopos Apostolis in juribus adhuc Ecclesiæ non tam commodis quam necessariis succedere, sat manifesto indice proditur. Quid vero sublevandis Ecclesiæ necessitatibus opportunum magis, quidve adcomodatius, quam illam ligandi atque solvendi potestatem in Christi Ecclesia persistere, divinaque mysteria a ministris divinitus in sortem Domini evocatis, dispensari? Quæ tamen singula in sententia nobis adversa sat viderentur ambigua, cum Patrum ex sententiis omnis potestas ecclesiastica successionis folliculo ad posteros devolvatur, illoque intercepto in spuriam degeneret. (*) Quo fit, ut Ecclesiæ quoque potestas Apostolis primitus a Christo concessa deficeret, nisi per successionis ductum ad Episcopos derivaretur, quod vix contingeret, nisi eundem quoque jurisdictionis episcopalis authorem profiteri daretur.

(*)

(*) Videtur hoc palmare argumentum esse contra Angliæ Episcopos, de quibus F. le Courayer P. 2. dissert. 13. testatur, quod *quoties aliquis minister Anglus ad Ecclesiam catholicam redit, si dignus habitus est, ut admitteretur in Clero, omnes ordines tanquam mero laico illi collati sint, & ita quoque recenter actum sit Romæ.* Ideo enim illorum ordinationes censentur nullæ, quia novam congregationem suæ plantationis erigentes, omnium Episcoporum in orbe christiano successionem abjecerunt, dum ex una parte ordinationis suæ Parkerum a Barlovio in taberna sub Elisabeth Regina ordinatum, caput & originem habent: ex altera vero parte ritu ab Eduardo VI. statuto ordinantur, quem ritum quamvis si in seipso spectetur, fors non repudiandum, relatum tamen ad ea, quæ præcedunt, interrogata & responsa invalidum esse constat. Illis vero, qui eundem ritum a Parlamento probatum esse ajunt, sat solide Stapletonius in confut. Horni respondet: *Si vero dixerint, hunc defectum jam sublatum esse: meminerint tamen, se Parlamenti, non Ecclesiæ esse Episcopos, & per consequens, non catholicos, novo utique & inaudito more & ritu ordinatos.*

§. LXVII.

Ea enim, teſte Jueninio, (r) ſucceſſionis veræ natura eſt, ut in novam protinus inſtitutionem degeneret, quam primum alius a primario ejusdem authore ſuam interferit poteſtatem, atque per hujus interventum in eodem negotio pro lubitu diſponere valet. Aut quis illos Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere ſomniabit, quos romanus Pontifex proprio motu inſtitueret, atque neceſſariæ poteſtatis privilegio dotaret, quamvis eadem ipſorum foret præcellentia, licet Apoſtolis tanta gloria nunquam conſpicuis? exigente nimirum ipſo ſucceſſionis jure, ut communi ex fonte tum prædeceſſori, tum ſucceſſori, quam ambit, poteſtatis excellentia profluat, nec alieno inſuper rivo indigeat, cujus adminiculo tandem prioris ſibi jura conſciſcat. Atque hæc ipſiſſima JCtorum de ſucceſſione differentium conſilia eſſe deprehendo authoritati legis ſalicæ communi ſuffragio tribuentium; quod regius continuo ſanguis in Gallia regni ſceptra capeſſat, illoque deficiente ad ſanguine proximius junctos ſucceſſionis prærogativa tranſeat,

(r) Tom. 5. de ſacrm. ordin. c. 12. de epiſcopat.

ſeat, (s) indicto mox quoad ſucceſſionis vocabulum ſilentio, ſi regio in maſculis ſtemmate in Bohemiæ provinciis penitus extincto, electio cuipiam regni coronam imprimeret, ejusque ſceptra amplior meritorum copia vendicaret. (*) Quo fit, ut tamdiu ſucceſſionis ſeriem protendi contingat: quousque commune idemque principium adipiſcendam gloriam ſuppeditat, novo tamen mox ſubcreſcente titulo, quando illud haud amplius ſuum officium ſubminiſtrat. Quæ proin noſtro adcomodata propoſito alterutrum, favente Marte evictura confido: Epiſcopos ſua jurisdictione, aut non ſucceſſionis jure gloriari, contra id quod Patres uno teſtantur calamo; aut ab eodem quoque authore cum Apoſtolis absque omni ambitionis nota illa fuiſſe inſtructos divinis utpote promiſſionibus inſiſtentes, quarum teſtimonio *Ipſe Dominus dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & ag-*

 nitio-

(s) Conf. Philip. Cominæus de bell. Neap. L. 5. circa fin. Hotomannus de antiq. Jur. regn. Gall. L. 1. c. 14. Heig P. 1. q. 16.

nitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. (t) Frustra igitur divinæ largitati ponuntur termini, Apostolorum videlicet temporibus concludendi; quos utpote omnes Christi dignatio perrumpit, episcopali gloriæ, teste Apostolo, tam benevola, vel ideo autem a ponendis ipsi angustiis alieniſſima.

(*) Deducta fuit hæc disposition ex aurea Bulla Caroli IV. Pragæ 7. Aprilis 1349. edita. Eadem habet ordinatio Uladislai de an. 1510. Similis quoque tenoris est clausula reversalium Ferdinandi I. Rom Imperat. & Bohemiæ Regis de an. 1541. Qui vero plura desiderat adglomerari testimonia conf. Baumanni tract. Schlesischer Landmann inscriptum. Hubertum Miræi canonicum Antverp. de reb. Bohem. & omnium loco integrum & elaboratissimum tractatum de hac re ex antiquis & recentioribus scriptis magna opera & industria compilatum a viro celeberrimo Melchiore Goldasto ab Heiminsfeld.

(t) Ephes. 4. v. 11. & seq.

Emendatio præcipuorum ERRORVM.

	Errata.	*Corrige.*
Pag. 16	exageraudæ	exaggeraudæ
—	moliſſimos	molliſſimos
24	fauſtus	faſtus
25	erubeſant	erubeſcant.
28	arbitrion	arbitrio
31	depræcipue	præcipue
—	aggreſſures	aggreſſores
—	profacto	profecto
32	præſcripta,	præſcripta, &
—	debita	dictata
34	intereſt	intereſt
38	conceſia	conceſſa
44	judicare	judicare
47	inprimis hune	inprimis, qui hunc
52	Cunſtantinus	Conſtantiuus.
56	poteſtatemquẽ	poteſtatemque
59	docrevit	decrevit
61	ani reputans	animo repurans
64	deducuit	deducit
66	conſtiſutos	conſtitutos
69	verbum N. L.	verum N. L.
86	Rex chriſtiana	Rex chriſtiane
94	Petavum	Petavium
102	pratulit	prætulit
112	trajdituram	traditurum
114	conatam	conlatam
—	conimant	conlimant
117	profanam ſo- lum	profanam poteſtatem ſo- lum

Errata.		*Corrige.*
Pag. 118	conſpiraute	conſpirante
—	regium	regum
122	alios vero	aliis vero
127	Tychium	Tychicum
129	propoſiita	propoſita
130	Theſſalonien-ſium	Theſſalonicenſium
—	omnes electio-nes	omnes
132	Zouaras	Zonaras
133	mutare	mutuare
138	liberum capi-tulum	liberam capitulo
—	hetreditario	hæreditario
—	Würwein	Würdtwein
139	compluribus ecclesiæ	compluribus Eccleſiis
145	quopue	quoque
149	Joannas VIII.	Joannes VIII.
—	præbeibmus	præbebimus
151	conſtitutio	conſtituto
—	eo ferre modo	eo fere modo
154	alveo immiſa	alveo immiſſa
165	Petri ſuavis	Petri Soavis
167	fideatur	videatur
—	oriantal.	oriental.
168	teſtante Hiero-nymus	teſtante Hicronymo
172	ſapides	lapides
175	conationem ſuæ jnrisdi-ctionis	conlationem ſuæ jurisdi-ctionis

Ceteros errores & interpunctiones male poſitas benevolus Lector corrigat.

POSITIONES
EX
SYNOPSI JVRIS
ECCLESIASTICI
PVBLICI & PRIVATI,
QVOD
PER TERRAS HAEREDITARIAS
AVGVSTISSIMAE IMPERATRICIS
MARIAE THERESIAE
OBTINET,
DEPROMPTAE,
ET
EX PRAELECTIONIBVS ORDINARIIS
a P. AVGVSTINO M.
STEINLECHNER
ORD. SERV. B. V. M.
IN VENERABILI
CONVENTV AD D. JOSEPH
PROPVGNATAE
DIE 29 MENSIS JVLII M. D. C. C. LXXIX.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

PERMISSV SVPERIORVM.

OENIPONTE,
LITERIS ACADEMICIS WAGNERIANIS.

EX
JVRE
ECCLESIASTICO PVBLICO.

I.



Jurisprudentia ecclesiastica est scientia legum ecclesiasticarum conjuncta cum habitu leges ad facta applicandi. SYNOPSIS N. 1.

2.

Ut leges hæ recte & intelligantur, & ad facta applicentur, determinatio-

nes legum diligenter evolvendæ ſunt. S. N. II.

3.

Naſcente Eccleſia leges perpaucæ: auctæ illæ poſtmodum Conciliorum decretis, unde codices Canonum multiplices orti, codex Canonum Eccleſiæ græcæ, Romanæ, Africanæ, Hiſpanicæ. In Germania ſola vetus Canonum compilatio obtinuit, donec Carolus M. collectionem Dionyſianum Romæ ab Hadriano Papa poſt medium ſæculi VIII. acceptum domum referret. S. N. VIII, IX, X.

4.

Exeunte ſæculo VIII. Jus novum eccleſiaſticum; ſub ſchemate tamen antiquitatis diſſeminatum eſt, per collectionem Canonum Iſidori Mercatoris. S. N. XI.

5.

Celebriores cæteræ collectiones erant Reginonis, Burchardi, Ivonis, & Gratiani, cujus poſtremi collectio brevi in ſcholis & foris civitate ubivis donata fuit. S. N. XIII.

6.

6.

Sæculo XIII. ineunte Pontifices Romani ipſi collectionibus Canonum edendis animum adjecere, Innocentius III. Innocentianæ, & Honorius III. Honorianæ, quas tamen longe poſtea ſuperavere Libri V. Decretalium authoritate Gregorii IX. collecti, & ab eodem anno 1234. ad Doctores & Scholares Academiæ Bononienſis miſſi. s. N. XIV.

7.

His anno 1298. ſextus Decretalium authoritate Bonifacii VIII. additus. s. N. XV.

8.

Librum VI. Decretalium ſubſecutæ ſunt anno 1317. Conſtitutiones Clementinæ, & has demum Extravagantes Joannis XXII. & Extravagantes communes. s. N. XVI.

9.

Atque his collectionibus univerſum Juris canonici corpus abſolvitur, dum, quæ poſtea conditæ leges ſunt,

non amplius in corpus Juris canonici referebantur, quorum complexus idcirco Jus noviſſimum audit, cujus partes nobiliores ſunt Concilium Conſtantienſe & Tridentinum. S. N. XVII.

10.

In Germania non modo Juris noviſſimi partem ſpecialem conſtituunt concordata Germaniæ, ſed etiam Pax religioſa, & Weſtphalica omnino eſt cuſtodienda. S. N. XVIII.

11.

Quandoquidem Jurisprudentia eccleſiaſtica ſcientia eſt legum eccleſiaſticarum, principiis certis & indubiis illa nitatur oportet, unde doctrinam ſuam de legibus deducat. Quare cum aliæ quidem in Jure eccleſiaſtico leges divinæ ſint, ab ipſo JEſu Chriſto latæ, quas tum in ſacra Scriptura, tum in Traditione, Eccleſiæ reliquit ſuæ: aliæ humanæ, quas ſeu Apoſtoli, ſeu ſucceſſores eorum Epiſcopi in, aut extra Concilia ſanxerunt, relinquitur: duo omnium prima Juris eccleſiaſtici principia Scripturam ſacram eſſe atque Tra-

ditio-

ditionem, cujus teſtes & depoſitarii ſancti Patres Eccleſiæ ſunt; quæque ex eorum ſcriptis, ex actis Conciliorum, aliisque Decretis, præcipue Romanorum Pontificum potiſſimum colligitur. S. N. XXIV.

12.

At quoniam nonnullæ diſciplinæ eccleſiaſticæ exterioris partes ſæpe aliquid admixtum habent, quod ad ſtatum regnorum civilem pertinet, in his etiam Principibus & Imperantibus civilibus Jus, quæ ad ſalutem publico pertinent, determinandi competere, res ipſa loquitur; quo fit, ut & ſummorum Imperantium civilium leges in tradendo jure eccleſiaſtico probe cognoſcendæ, & ſancte obſervandæ ſint. S. N. XXV.

13.

De ejusmodi diſciplinæ exterioris partibus interdum integræ nationes pacta ſingularia iniere. In Germania ſunt ſupra laudata Concordata Germaniæ, tum Pax religioſa & weſtphalica, quæ proinde a ſtudio Juris noſtri eccleſiaſtici exulare non poſſunt. S. N. XXVI.

14.

14.

Sed & Juris naturalis leges inter principia Juris ecclesiastici collocandæ. Uti enim religio revelata Legem naturalem non destruxit, imo perfecit, ita & leges Juris naturalis obtinere etiamnum in Ecclesia debent. S. N. XXVII.

15.

Servator mundi Christus Jesus cum inter homines viram ageret, interitum legis Mosaicæ non annuntiavit modo persæpe, sed aliam etiam in ejus locum societatem instituit, a Judaica omnino diversam, quæ societas christiana vocatur. S. N. XXVIII.

16.

Nexus institutæ hujus societatis per ejusdem veræ fidei, eorundemque Sacramentorum participationem, ac dilectionis mandatum, nec non per concessam hujus societatis Pastoribus, principaliter Petro & ejus successoribus potestatem clavium, subsistit. S. N. XXIX.

17.

17.

Quam ſocietatem qui intrare vellent, per Baptiſmum ceu pactum ſolemne ad nexus hujus obſervantiam ſe adſtringerent. S. N. XXX.

18.

Societas igitur chriſtiana divinæ originis eſt. Eſt ſocietas perfecta nexu animorum non interno ſolum, ſed externo etiam colligata cum unionis tum ſubjectionis, nec non & pacti ſolemnis. S. N. XXXI.

19.

Quoniam porro formam, ſecundum quam ſocietatem hanc ſuam Chriſtus inſtituit, in Scriptura ſacra Teſtamenti, tum in traditione orali nobis reliquit, liquet: Scripturam N. I. nec non Teſtamenti ejusdem traditiones divinas legem ſocietatis chriſtianæ eſſe fundamentalem. S. N. XXXII.

20.

Unde ſicut in Jure eccleſiaſtico ad verbum Dei ſcriptum & traditum primo loco recurrendum, ita quæ ex iis rite

rite deducuntur, invictæ sunt auctoritatis, modo ex genuino sensu Scripturæ sacræ & traditionibus vere divinis deductæ sint. S. N. XXXIII.

21.

Quapropter uti sensus Scripturæ divinus a sensu humano, ita & traditiones divinæ ab ecclesiasticis & hæ irerum a vulgaribus & piis credulitatibus probe sunt in Jurisprudentia ecclesiastica secernendæ. S. N. XXXIV.

22.

Neque tamen propterea Scripturæ sacræ V. T. negligendæ. Sunt enim illæ æque verbum Dei, & quantum ad veritates credendas in iis contentas, credere eas hodie debet Ecclesia christiana non minus ac olim Judaica, eo solum discrimine, quod quæ tum in figuris tantum nota, credebantur eventura, nos eveniſſe jam credamus. S. N. XXXVI.

23.

At quantum ad Jus agendorum, quod in iisdem V. T. Scripturis continetur, sane

ſane leges illorum cæremoniales, politicæ & judiciales nihil ad nos attinent, qui alias tum civiles tum eccleſiaſticas leges habemus. S. N. XXXVII.

24.

Quamobrem neque a ſtatu publico ſynagogæ & a ſacerdotio veteris Teſtamenti ad ſtatum & ſacra Eccleſiæ chriſtianæ invicta valet conſecutio. S. N. XXXVIII.

25.

Jus determinandi cum correſpondente obligatione parendi ſocietatibus perfectis alioqui proprium, a Chriſto etiam Eccleſiæ ſuæ in poteſtate clavium, poteſtate ligandi & ſolvendi conceſſum eſſe, Scripturæ N. T. locis bene multis luculenter perhibent. S. N. XL.

26.

Ac Juris hujus conceſſionem mox uſus ipſe praxisque vel in naſcente Eccleſia comprobavit, quod tamen inter ſphæram Sacrorum ſtetit. S. N. XLI. XLII.

27.

27.

In jure determinandi porro quoniam poteſtas & legislatoria continetur & judiciaria utraque a Chriſto Eccleſiæ conceſſa intelligitur, quam Apoſtoli etiam eorumque ſucceſſores reapſe exercuere. S. N. XLIII.

28.

Cum diſtributio bonorum ſpiritualium, quæ e ſocietate chriſtiana promanant, Eccleſiæ divinitus conceſſa ſit, non temere utique ſed prudenti cum judicio facienda: Eccleſia etiam jure pollet ſubtrahendi eadem bona immerentibus; proin & ſubtractione horum bonorum cogere fideles poteſt ad obediendum legibus iis, quarum ſanciendarum & penes Eccleſiam jus eſt, & penes fideles obligatio parendi. S. N. XLIV.

29.

Id quod dum agit Eccleſia, excommunicare dicitur. Jus igitur ferendi excommunicationem ex inſtituto manat divino, excommunicatioque privatione communionis ſacrorum continetur. S. N. XLV.

30.

30.

Unde quos cæteros effectus mere civiles annexos habet excommunicatio, eos ex Principum consensu habet. s. N. XLVI.

31.

Quoniam ubi potestas judiciaria legislatoria & jus cogendi est, ibi & imperium est; Ecclesiæ quoque imperium divinitus, concessum esse negari nequit. S. N. XLVII.

32.

Quod tamen cum imperium mere sacrum sit & intra sphæram sacrorum contineatur, Majestati civili nec quidquam detrahit; & utrumque suo in genere summum manet & independens. S. N. XLVIII.

33.

Imperium sacrum porro Ecclesia omnium semper splendidissime in conciliis generalibus exercuit; quorum ut firmior adhuc & inexpugnabilis esset auctoritas, privilegio inerrantiæ in fidei morumque controversiis determinandis Christus illam munivit. s. N. LI.

34.

Quæ porro Conciliorum horum definitionibus in rebus fidei & morum immutabilitas competit, non ea ad res disciplinæ etiam pertinet, de quibus proin cum leges sanciunt, mutationi illæ utique sunt obnoxiæ. Quare videndum semper diligenter, num leges illæ ubivis receptæ aut abrogatæ iterum seu consuetudine, seu legibus posteriorum Conciliorum. S. N. LIII.

35.

Imperium sacrum Christus non quibusvis de populo, sed solis Apostolis contulit, ac inter hos præcipuo quodam modo Petro, ut is & ipsorum Apostolorum caput esset, quo ita Ecclesiæ unitas conservaretur. Atque hæc Petri in Imperio sacro prærogativa Primatus Petri vulgo appellatur. S. N. LIV.

36.

Quemadmodum autem Imperium sacrum non intra fines nudi directorii aut sola prærogativa honoris consistit: ita & illud, quod in ipso hoc imperio peculiare Petro præ cæteris Apostolis

datum

datum fuit, id eſt, Primatus Petri, Primatus auctoritatis & jurisdictionis ſit oportet. S. N. LV.

37.

Cumque inſtituti hujus primatus cauſa finisque omnis in eo eſſet, unitas ut conſervaretur in Eccleſia: ſane non is merum Petri privilegium perſonale fuit, ſed reale, in Eccleſiæ commodum perpetuo impertitum, perinde ac reliquum Imperium ſacrum Apoſtolis conceſſum. S. N. LVI.

38.

Quamobrem regimen Eccleſiæ, quale quidem divinitus inſtitutum accepimus, haud mere eſt Monarchicum, ſed Ariſtocratia temperatum. S. N. LVII.

39.

Ex conſtituto divinitus in Eccleſia Imperio recte conſequitur, Eccleſiam eſſe ſocietatem inæqualem & Rempublicam quandam ſacram, in qua nempe ſint alii, qui imperium exerceant, alii, quorum ſita in obediendo gloria. S. N. LVIII.

40.

Poſtquam divus Petrus Eccleſiæ Romanæ regendæ immortuus eſt, quotquot poſt illum ritè electi eidem Eccleſiæ præſunt Epiſcopi, eos & jure & merito univerſa Eccleſia etiam Petri in Primatu ſucceſſores agnoſcit. s. N. LXII.

41.

Primatus hujus jura ut ſunt hodie multijuga, ita non omnia uniusmodi. Sunt alia eſſentialia, ſeu quæ ex inſtitutione divina competant, quo refertur Jus petendarum, recipiendarumque relationum & appellationum ad ſervandam unionem fidei. In terminandis fidei controverſiis partes ejus inter cæteros Epiſcopos præcipuæ. Jus convocandi Concilia, iisque præſidendi, celebrataque confirmandi. Jus primario defendendi cauſas fidei. Jus tutandi vindicandique obſervantiam Canonum per omnes Eccleſias. Jus ferendi leges diſciplinares univerſales, quæ tamen ut ubivis obligent, promulgationem earum in ſingulis diœceſibus per Epiſcopos diœceſanos faciendam

acce-

accedere oportet, neve juribus singularibus Ecclesiarum aut Regnorum sint contrariæ. Unde quali polleant auctoritate Libri Decretalium, Clementinæ, Extravagantes, Decretum Gratiani, nec non Curiæ Romanæ tribunalium declarationes & sententiæ, facile intelligitur. Jus relaxandi Canones Conciliorum etiam generalium in casibus particularibus, in quibus nempe Concilia ipsa legis gratiam facerent, secundum dispensationum regulas in Conciliis præscriptas. Jus devolutionis supremum, quo Romanus Pontifex desciscentes ab officio Prælatos ad muneris expletio- revocare, & ita negligentiam eorum supplere valeat, salvis tamen devolutionibus intermediis. S. N. LXIV.

42.

Alia Jura Primatus sunt accidentaria, seu quæ non divino promanant instituto, sed aliunde accessere, & serioribus temporibus Pontifici Romano reservata sunt; quo pertinent Jus confirmandi Episcopos: Jus eosdem consecrandi, transferendi: Jus admittendi resignationes Episcoporum: Jus ex-

auctorandi Episcopos: Jus erigendi novos Episcopatus: Jus uniendi dividendique Episcopatus: Jus beatificandi & canonizandi: Jus approbandi, tollendique instituta Religiosorum Ordinum &c. S. N. LXV.

43.

Ad neutram Jurium istorum classem potestas illa Pontificis pertinet, quam vulgo indirectam in temporalia Regum vocant, & qua ille etiam de temporalibus Regum præcipere, ac eos Regnis etiam mulctare possit, si Ecclesiæ salutique animarum noceant. Hæc enim potestas a mente Ecclesiæ aliena est. S. N. LXVI.

44.

Legatorum modernorum, quorum tria habemus genera, Jura & potestas non ex Jure Decretalium, sed ex decretis Concilii Tridentini potius, ex Concordatis Germaniæ, ac maxime ex moribus, usuque hodierno determinanda. S. N. LXXVI.

45.

45.

Jura metropolitica vel honoris sunt vel jurisdictionis. Illa absolvuntur jure proedriæ seu primæ sedis ante cæteros Provinciæ Episcopos, jure præferendæ crucis archiepiscopalis, ac jure Pallii, cujus quidem pallii origo nondum satis est eliquata. S. N. LXXXIII.

46.

Hæc autem quum olim essent ampliſſima, imminui cœpere jam inde a sæculo IX. & deinceps, ad Tridentini usque Concilii tempora. Ac inter cætera, quæ eis ademta sunt, omnium maxime duo eminebant: Jus nempe confirmandi Episcopos, ac judicandi eorundem causas majores, depositione vel degradatione dignas. Quorum illud in Concordatis Germaniæ, istud in synodo Tridentina soli fuit Pontifici stabilitum, quamquam jam antea de Episcoporum criminalibus causis judicium Romano Pontifici esset reservatum. S. N. LXXXIV.

47.

Poteſtas Epiſcoporum originis & inſtituti divini eſt. S. N. LXXXVI.

48.

Hac illi Presbyteris ſuperiores ſunt, hancque non a Romano Pontifice, ſed proxime a Deo nanciſcuntur. S. N. LXXXVII.

49.

Quare & diœceſes ſuas regunt nomine & jure non quodam vicario Pontificis & beneficio alieno, ſed jure proprio, tanquam veri nominis hierarchæ a Deo inſtituti, ſubordinati tamen Pontifici ceu Primati univerſæ eccleſiæ. S. N. LXXXVIII.

50.

Poteſtas igitur eorum, qua ſuis præſunt diœceſibus, plenaria eſt & ſolida ac ordinaria, cujus cum pars præcipua ſit præficere Paſtores inferiores, in quos curam paſtoralem ſecure partiantur, collatio quoque beneficiorum ad eosdem jure pertinet. S. N. LXXXIX.

51.

51.

Duo maxime peculiarem Episcoporum Germaniæ mentionem exigunt, insignis illa potestas civilis (superioritatem territorialem vocant) quem Episcopi Germaniæ conjunctam cum sacerdotio tenent; ac dein mutatio, quam eorundem jurisdictio ecclesiastica in pace Westphalica subiit. S. N. XCIII.

52.

Nimirum jurisdictio eorum ecclesiastica in Protestantes suspensa est in pace religiosa primum, quoad aliqua solum capita, ac demum penitus in Pace Westphalica, tribus duntaxat adjectis casibus exceptis. Quorum primus est: ad consequendos tamen reditus, census, decimas & pensiones in iis A. C. statuum ditionibus, ubi Catholici anno 1624. notorie in possessione vel quasi exercitii jurisdictionis ecclesiasticæ fuerunt, utantur eadem posthac quoque sed nonnisi in exigendis hisce pensionibus nec procedatur ad excommunicationem, nisi post tertiam demum denuntiationem Catholicorum. P. W. art. V. §. 48. S. N. CXIV.

53.

Alter hisce continetur: A. C. addicti ſtatus provinciales & ſubditi, qui anno 1624. eccleſiaſticam jurisdictionem agnoverunt, in iis caſibus modo dictæ jurisdictioni ſubſint, qui A. C. nullatenus concernunt, modo ipſis occaſione proceſſus nihil injungatur A. C. vel conſcientiæ repugnans. Tertius denique mox ſubnectitur his verbis: eodem etiam jure A. C. magiſtratum Catholici ſubditi cenſeantur, inque hos, qui anno 1624. publicum Catholicæ religionis exercitium habuerunt, jus diœceſanum, quatenus Epiſcopi illud dicto anno quiete in eos exercuerunt, ſalvum eſto. §. cit. s. N. XCV.

54.

Cum jam inde ab Eccleſiæ primordiis Epiſcopi ſua haberent presbyteria, ſeu ſenatum quemdam eccleſiaſticum, cujus opera & conſilio in rebus majoris momenti uterentur: ſæculo VIII. vitam illi communem agere cœperunt, ſecundum Crodegandi Metenſis Epiſcopi regulam, monaſticis inſtitutis multum aſſimilem. s. N. XCIX.

55.

Etſi vero hoc vitæ inſtitutum poſtea iterum abjecerant, manſere tamen hodienum coadunati in Collegia ſeu in Congregationes eccleſiaſticas de vita ex certa regula, & ſtatutis agenda, divinisque officiis communiter in Eccleſia peragendis. Quæ ſi ex Clericis Eccleſiarum Cathedralium, Capitula cathedralia: ſin ex Clericis aliarum Eccleſiarum inferiorum non cathedralium conſtant, Capitula Eccleſiæ collegiatæ vocantur. S. N. C.

56.

Ex quo autem bona Epiſcopi a bonis Capituli ſejungere, corpus formare ab Epiſcopo ſeparatum, ac denique redditus capituli inter ſe partiri cœperunt Canonici, jura etiam & Prærogativas ſingulares pedetentim acquiſivere quæ tamen non ſunt ubivis uniusmodi. S. N. CI.

57.

In Germania certe prærogativa illorum ſplendidiſſima eſt jus, quod habent, liberum eligendi Epiſcopos &

Ar-

Archiepiſcopos, qui S. R. I. Principes ſimul ſint & Electores. S. N. CII.

58.

Paroecia olim diœceſim, hodie diœceſeos partem duntaxat indicat, cujus incolæ cœtum quendam minorem de Deo per ſacra chriſtiana colendo conſtituunt ſub regimine Presbyteri, qui & Parochus audit. S. N. CVI.

59.

Inſtitutione divina extitere jam inde ab eccleſiæ chriſtianæ initiis Presbyteri quidam inferiores ſeu ſecundi ordinis, qui ſub regimine Epiſcoporum cœtibus chriſtianorum præeſſent, a quibus quoniam ii, quos hodie Parochos vocamus, nihil differunt, ſi pauca ſejungas, quæ recentior eccleſiæ diſciplina addidit, divinæ quoque illi inſtitutionis ſunt, ſi rem ipſam ſpectes & ſubſtantiam; quo ſenſu & poteſtatem ſuam proxime a Deo obtinent, quæ ordinaria eſt, non vicaria tantum & mere delegata. S. N. CVII.

60.

Clericorum jura ad duo ſumma genera revocantur ad immunitatem eccleſiaſticam perſonalem & realem, quorum illa privilegium Canonis, quod vocant, privilegium fori, privilegium ſervitiorum & privilegium competentiæ complectitur. S. N. CX.

61.

Privilegio Canonis excommunicatio major continetur, lata in notorios Clericorum percuſſores, de quorum tamen percuſſione inquiſitio facienda ab utraque, eccleſiaſtica & civili poteſtate. S. N. CXI.

62.

In cauſis quidem ſacris, quemadmodum Clerici foro civili non ſunt obnoxii: ita in cæteris civilibus cauſis, quidquid exemptionis, quam privilegium fori vocant, habuere aut habent etiamnum, regum aut principum conceſſioni referendum in acceptis. S. N. CXII.

63.

63.

Privilegio ſervitiorum Clerici exemti ſunt ſervitiis ſtatui clericali minus convenientibus, ut ſacris vacare magis poſſint. Quare inter cætera etiam a militia exemti ſunt, niſi forte Patria defendi non poſſet, quo caſu juri ſequelæ, quod regibus ceu conſectarium ex jure belli competit, etiam clerici ſunt obnoxii. S. N. CXIII.

64.

Privilegium competentiæ, quo clericis non habentibus unde creditoribus ſatisfaciant, ſalvam oportet eſſe ſuſtentationem ſtatui eorum congruam, ex obſervatione diuturna æquitate ſubnixa repetendum. S. N. CXIV.

65.

Prima immunitatis reulis initia Conſtantino M. debet eccleſia. Cumque initio varia ea eſſet immunitas, modo auctior modo contractior, pedetentim a ſæculo XI. usque eo crevit, ut etiam ad poſſeſſiones patrimoniales & privatas clericorum extenderetur. Poſteaquam enim ex falſis Iſidori Decretali-

bus

bus semel creditum est, clericos civili jurisdictioni nequaquam subjacere, idque institutio divino; proclive fuit, ut etiam a tributorum præstatione, quæ subjectionis illius signum esset, liberi crederentur eodem jure. Prædia porro clericorum ac possessiones eorum, tanquam accessoria personæ tum spectabantur; igitur & has tributis minime obnoxias esse, velut suapte consequi videbatur secundum vulgarem regulam: accessorium sequitur principale. At hodie philosophia utimur, quæ majoris gratitudinis sit, & quantulumcunque immunitatis realis supersit, illud ex beneficio Principum habere nos grati recognoscimus. S. N. CXV - CXVI.

66.

De exemptionibus Regularium cum sæpe quærelæ ortæ, sæpe etiam modus iis est positus, tum novissime in concilio Tridentino, ut via quadam media res complanaretur, concessum episcopis, ut saltem qua sedis apostolicæ delegati jurisdictionem in exemtos exercere certis casibus valeant. Trident. Sess. 6. de reform. c. 3. Sess.

25. c. 14. Seff. 7. c. 15. Seff. 22. c. 8. & 9. S. N. CXXI.

67.

Qua ipfa tamen Tridentini fanctione quoniam non tam nova quædam conceffa quam vetus potius & avita epifcopis reftituta eft auctoritas (folum enim obftaculum remotum fuit, quod poteftati eorum pofuerat exemtio) profecto delegatam illam a fynodo Tridentina jurisdictionem æquivalere jurisdictioni ordinariæ & adeo latioris effe interpretationis cenfendum eft. S. N. CXXII.

68.

Peractæ electioni fub ftirpis Carolinæ & Saxoniæ Regibus, cum epifcopi Germaniæ Regalia non pauca poffiderent, addita inveftitura eft, per annulum & baculum; ob quam dein ortum fub Gregorio VII. R. P. diffidium Pontifices inter & Imperatores. quod annis propemodum 50. eccleſiam æque ac imperium vehementer afflixit transactione Calixtina demum extinctum. Utque reddita Eccleſiæ Imperioque

pax

pax esset firmior, etiam Jure Regaliæ & Spolii sese abdicavere Imperatores. S. N. CXXVIII.

69.

Novam electiones episcoporum faciem accepere sæculo XIII. dum Capitula cathedralia electiones has sibi solis adtribuerunt; quod jus moribus initio quæsitum postea & Pontificum & Imperatorum constitutionibus est confirmatum, imminutum tamen rursus per Pontifices maxime Avenione residentes, qui reservationes episcopatuum permultum auxerant. S. N. CXXIX.

70.

At restitutum illis rursus quantum ad Germaniam per Concordata Germaniæ est anno 1448. quibus libera & canonica Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum electio Capitulis metropoliticis, cathedralibus & monasticis confirmata fuit reservato solum Pontifici jure confirmandi electos in ecclesiis Metropolitanis & cathedralibus etiam Apostolicæ sedi immediate non subjectis, & in monasteriis Apo-

ſtolicæ ſedi immediate ſubjectis. Concord. germ. §. 3. Qua electionum libertate perfruitur Germania etiamnum. S. N. CXXX.

71.

Facienda autem hæc electio eſt ſecundum formam in cap. 42. de elect. & elect. poteſt præſcriptam. S. N. CXXXI.

72.

Alter poſt electionem modus perveniendi ad dignitates eccleſiaſticas poſtulatio audit, quæ eſt electio perſonæ defectu canonico laborantis, annexam habens implorationem ſuperioris, de eadem perſona per diſpenſationem ad Prælaturam admittenda. S. N. CXXXII.

73.

Quare cum poſtulatio reipſa electio ſit, diverſa ab illa duntaxat in eo, quod annexam habeat implorationem ſuperioris de concedenda diſpenſatione, relinquitur: ut forma electioni præſcripta ſervanda itidem in poſtulatione ſit; & adeo pro poſtulato haben-

bendus fit ille, in quem major capituli pars consenserit, nisi fors pars capituli postulet, pars eligat, quo casu postulatus duplo majorem numerum suffragiorum habere debet quam electus. Secus prævalet electio, dummodo suffragia pro electo unam tertiam personæ postulatæ superent. s. N. CXXXIII.

74.

Insignis & permagna est Religionis christianæ ad felicitatem Reipublicæ præstantia, augetur autem hæc mirifice per sacerdotii & Imperii concordiam. S. N. CXL - CXLI.

75.

Quorum sicut quodque suo in genere est summum & alterum ab altero indepeudens: ita limites eorum determinantur ex diversitate finium, quorum gratia Sacerdotium & Imperium institutum est: ex diversitate mediorum, quæ eis ad consequendos fines suos data sunt, & ex diversitate objecti, circa quod Imperium & Sacerdotium occupantur. S. N. CXLII.

76.

Ex determinatione horum limitum consequitur porro, potestati civili jus in Sacra, quod in determinatione sacrorum situm est, haudquaquam competere; competere tamen jus aliquod circa sacra, quod jus ex ipso imperio civili profluit. S. N. CXLIII.

77.

Consistitque jus istud in jure Regio supremæ inspectionis in ea, quæ in territorio Reipublicæ aguntur, ne quid detrimenti exinde persentiat respublica: nec non in jure munereque Patrocinii ac Tuitionis res fidei, disciplinæque Ecclesiæ. S. N. CXLIV.

78.

Quare vi juris Patrocinii ac Tuitionis competit Principi Jus convocandi certis casibus concilia: coercendi veræ Religionis impugnatores: prohibendi libros noxios: monendi de Canonum observantia: prohibendi, ne Prælati Ecclesiæ bona ecclesiastica alienent. S. N. CXLV.

79.

79.

Ex jure Regio autem ſupremæ Inſpectionis competit Principi jus Placeti Regii, ut vocant, circa bullas eccleſiaſticas: Jus dandi excluſivam, quam ajunt, in electionibus Prælatorum: condendi legem amortizationis: recipiendi recurſum & appellationem ab abuſu: jus permittendi civibus a vera religione alienis liberum ſacrorum exercitium in caſu inevitabilis neceſſitatis, præcipue avertendi majoris damni religionis. S. N. CXLVI.

80.

In Germania exortis ſæculo XVI. funeſtiſſimis illis Religionis diſſidiis, Principes Proteſtantici paulo ampliora jura circa ſacra ſibi ſumſerunt; nimirum ſumſere ſibi Jus veterem religionem poſſeſſione dejiciendi, ſubſtituendique novam ac determinandi annexa Religionis, quorum jurium complexus jus reformandi vulgo audit. S. N. CXLVII.

81.

Jus hoc reformandi a Principibus Proteſtanticis jam occupatum in Pace

westphalica tandem Imperatori, statibusque Imperii immediatis, ecclesiasticis non minus, quam sæcularibus, cum jure territorii & superioritatis ex communi per Imperium totum hactenus usitata praxi, comprehensa etiam nobilitate immediata, firmatum fuit. S. N. CXLVIII.

82.

Adjecta tamen exceptio est, vi cujus omnes & singuli, qui sive publicum sive privatum Catholicæ vel Augustanæ Confess. exercitium anno 1624. quacunque anni parte habuerunt, illud etiam deinceps retineant cum annexis quatenus illa dicto anno exercuerunt aut exercita esse probare possunt. Quare Jus reformandi instar regulæ se habet respectu statuum, subditisque contra illud excipientibus onus probandæ exceptionis incumbit. S. N. CXLVIX.

83.

Quapropter & Dominis territorialibus Jus simultanei innoxii competit, seu Jus introducendi coexercitium Religionis, quæ in anno regulativo haud vi-

viguit, modo ſubditi in Religionis exercitio anno normali habito, non impediantur. S. N. CL.

84.

Qui vero poſſeſſione ejusmodi in anno normali non fruebantur, his ſi diverſam a Domino territoriali religionem profiteri velint, non niſi flebile beneficium emigrationis conceſſum, quo ſi uti velint, detineri a Domino territorii nequeant, eſto etiam homines proprii ſint, modo æquum manumiſſionis pretium ſolvant. S. N. CLI.

85.

Poſſunt tamen hi etiam inviti a Domino territorii cogi ad emigrandum. Unde beneficio emigrationis ſubditis diverſæ religionis conceſſo, nequaquam ſublatum eſſe Jus transplantandi eosdem ſubditos, ex æquali relatione utriusque medii ad finem facile intelligitur. S. N. CLII.

86.

Sive autem ſponte velint, ſive emigrare cogantur, ſemper eis integrum

eſt bona vel alienare vel retinere ac per miniſtros adminiſtrare, libere etiam, ſi opus, accedere, recedere, nec denegandæ ſunt emigrantibus nativitatis honeſtæque vitæ teſtimonia, nec inuſitatis reverſalibus vel decimationibus ſunt gravandi. Artic. V. §. 36. & 37. S. N. CLIII.

87.

Denique Eccleſia Proteſtantium una cum illa Retormatorum ita in Germania jure civitatis donata eſt, ut jura illius cum juribus Eccleſiæ Catholicæ in Imperio Romano-Germanico ſint æqualia, ita ut quod uni juſtum eſt, alteri quoque juſtum ſit. P. W. artic. V. §. 1. artic. VII. §. 1. S. N. CLIV.

88.

At nihil hæc, quæ de jure reformandi ſtatuta ſunt, ad regna & Provincias Domus Auſtriacæ attinent, quorum intuitu regia Majeſtas Sueciæ & Auguſtanæ Confeſſionis Ordines ſibi nihil aliud reſervarunt, quam facultatem apud ſuam Cæſaream Majeſtatem, pace tamen ſemper permanente, & ex-

cluſa omni hoſtilitate, ulterius reſpecte interveniendi & demiſſe intercedenti. Artic. V. §. 41. S. N. CLV.

EX JVRE ECCLESIASTICO PRIVATO.

89.

Erectio & collatio beneficiorum Episcopatu minorum quemadmodum jure proprio & quaſi congenito ad Epiſcopos diœceſanos pertinet, ita decem primis eccleſiæ ſæculis, quibus collatio beneficiorum a ſacra ordinatione ſejuncta non erat, & ipſorum ordinum collatio vice collationis beneficiorum fuit, omnis quoque beneficiorum collatio apud ſolum epiſcopum remanſit. S. N. XI.

90.

Jus Patronatus viget etiamnum, contineturque jure prælentandi Cleri-

cum ad beneficium vacans: percipiendi alimenta in neceſſitate: capiendi locum honoratiorem in eccleſia in ſolemniis eccleſiaſticis: obligatione defendendi eccleſiam, & ad ejus reparationem concurrendi. S. N. XIV.

91.

Jus Patronatus utcunque inter res ſpirituali annexas referatur, id tamen haud officit, quo minus Chriſtiani omnes, ne fæminis quidem exceptis, juris hujus capaces ſint, acquirique illud poſſit aut modo originario, & quidem ordinarie fundatione, dotatione, extructione; extraordinarie præſcriptione, privilegio; aut modis derivativis, ſucceſſione, donatione, ſeu etiam una cum caſtri, vel prædii, cui cohæret, permutatione & venditione. S. N. XV.

92.

Quis autem cunque beneficia conferat, ſemper is eam ſervare debet regulam, ut homines det beneficiis, non beneficia hominibus, id eſt, ut ea non niſi dignioribus, & qui eccleſiæ magis proficui futuri ſint, impertiatur. S. N. XVII.

93.

93.

Ad quam regulam proin conſentanee intelligenda conſuetudo, quæ alicubi inoluit, recipiendi Canonicos nobiles tantum: dandi Expectativas & Canonicatus in herbis. S. N. XVIII.

94.

Beneficio obtento variæ tum obligationes, tum jura in beneficiato oriuntur. Ac primum quidem jure divino obligatur is ad rite præſtandum officium beneficio annexum. Id quod ſi præſtare pro eo, ac oportet, non poſſit, niſi quoque in loco beneficii reſideat, eodem jure ad reſidentiam in loco beneficii obſtringitur, illamque non otioſam, ſed diligenti cum officii expletione conjunctam. S. N. XIX.

95.

Quæ obligatio potiſſimum ad Beneficiatos curatos pertinet, niſi forte officiorum colliſio exceptionem a reſidentiæ neceſſitate quandoque poſtulet, id eſt, ut Tridentina Synodus explicat, niſi chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas aliquos non

nonnunquam abeſſe poſtulent. Seſſ. 23. c. 1. de Reform. s. n. xx.

96.

Quoniam porro qui in uno beneficii loco reſidet, nequit ſimul reſidere in alterius beneficii loco, relinquitur, ut quæ lex reſidere in loco beneficii præcipit, eadem & beneficiorum pluralitatem prohibeat. s. n. xxii.

97.

Obtinenti plene beneficium etiam jus in ipſo beneficio naſcitur, vi cujus jure pollet exercendi cuncta jura beneficii & ſpiritualia & temporalia: exigendi & percipiendi proventus reſidentiæ veræ & fictæ aſſignatos: utendi, fruendi prædiis eccleſiaſticis, in beneficium datis. s. n. xxiii.

98.

Quod tamen de proventibus ultra vitæ honeſtæ ſuſtentationem ſupereſt, impendere is in uſus pios obſtringitur adeo, ut ſi in profanos uſus eroget, ad reſarciendum obligetur. s. n. xxix.

99.

99.

Quare neque consuetudine effici potest, ut de redditibus superfluis ad causas profanas testari Clericis sit integrum; quanquam in foro externo id genus testamentorum tolerentur, ob odium litium, & quod perarduum sit bona superflua beneficialia secernere a Patrimonio, de quo libera illis disponendi testandique potestas est. S. N. XXV.

100.

Beneficiatus quemadmodum ob jus in beneficio privari beneficio non potest nisi in pœnam & ob causas in Canonibus expressas: ita propter obligationem quam contraxit, præstandi officium beneficio annexum abdicare se beneficio non potest, nisi & justa causa & superioris adsit annutus. S. N. XXVI.

101.

Resignationes autem has pure & sine adjecta conditione, omnium autem minime in favorem tertii fieri oportet, quales recentior primum ætas contra canones a sæculo XIV. introduxit. S. N. XXVII.

102.

In Germania ſicut beneficiorum omnium dominium & collatio non creditur Pontifici competere, ita nec Jus onerandi penſionibus beneficia. Ac quanquam beneficiis menſe Papali vacantibus penſiones imponere poſſit, haud illæ tamen ad ſucceſſorem transeunt, ſi poſtea in menſe Ordinarii collatoris vacaverint. S. N. XXXI.

103.

Etiam Annatis, quæ ſunt pars redituum primi anni Pontifici ex recens collato beneficio ſolvenda, is eſt per Concordata Germaniæ modus poſitus, ut de Eccleſiis cathedralibus & monaſteriis virorum ſolvantur quidem moderatæ: de cæteris beneficiis autem non aliter, niſi valorem 24. Ducatorum excedant; unde dignitates & Canonicatus nullas hodie Annatas ſolvunt, quod omnes ad valorem duntaxat 24. Ducatorum in camera apoſtolica taxati ſint. S. N. XXXII.

104.

Ecclesia jure statuendi impedimenta matrimonii ut Sacramenti: Princeps jure statuendi impedimenta matrimonii ut contractus civilis est, gaudet. s. N. XXXIV.

105.

Jure ecclesiastico Austriaco pro irritis censentur minorennium sponsalia sine Curatorum & Magistratus consensu celebrata. s. N. XXXV.

106.

Matrimonium in infidelitate contractum per solam professionem Religionis Christianæ alterutrius Conjugum haud solvitur. s. N. XXXVI.

107.

In Germania in quantum jus concedendi Ecclesiarum erectionem ad jus reformandi pertinet, normam specialem habet ex lege publica P. W. s. N. XLI.

108.

Ecclesiæ reficiendæ & restaurandæ jus & obligatio penes Ecclesiam est.

Quare

Quare reficienda illa eſt ex redditibus ipſius Eccleſiæ, atque adeo ex ipſorum etiam beneficiatorum redditibus, ſi qui congruæ ſuſtentationi ſuperſunt. His deficientibus membra Eccleſiæ, Parochiani primum, tum Patroni ſubſidia conferre debent. S. N. XLII.

109.

A ſæculo X. in ipſis Eccleſiis fideles quidam honoratiores ſepulturæ dati. Qua in re quid hodie fieri oporteat, ſpeciali Reſcripto Regio de 14. Aug. 1772. determinatum. S. N. XLVII.

110.

Oblationes etiam funerarias quales, quantasque tum Eccleſiæ, tum ejus miniſtris dare oporteat, conſtitutum iridem Reſcriptis Regiis de anno 1751. & 1769. S. N. XLVIII.

111.

In Pace weſtphal. conventum quidem, ne quis intuitu Religionis a publicis cœmeteriis, honoreve ſepulturæ arceatur. artic. V. §. 35. At accipi illud non poteſt de locis, ubi publi-

cum

cum religionis Proteſtanticæ exercitium non toleratur, in quibus proinde locus eſt legi eccleſiaſticæ, ſepulturam eccleſiaſticam hæreticis neganti. s. N. XLIX.

112.

Inter immunitates eccleſiis datas jus aſyli celeberrimum eſt, quo ſecuritas data confugientibus ad eccleſias, ut extrahi inde nequeant, utcunque ſcelera morteplectenda commiſerint. s. N. LII.

113.

Eſt itaque jus aſyli ſpecies quædam juris adgratiandi. Iſtud autem quum pars ſit juris, quod vitæ & necis dicimus, quodque ſolis Imperantibus civilibus competit, ſane ipſius etiam juris aſyli conceſſio ad eosdem imperantes civiles pertinet, quorum imperium civile religio chriſtiana haudquaquam imminuit. Et poſſunt profecto & tempora oſtendi & tabulæ, quando & in quibus jus aſyli ab imperantibus civilibus conceſſum eccleſiis, ac quantum illud, & quam vario modo auctum, modo iterum reſtrictum. s. N. LIII.

114.

Cum jure divino homicidæ etiam ab altaribus abripi poſſent ad ſupplicium, crimina atrocia excepta ſunt. Jure Auſtriaco etiam obærati, qui in fraudem Creditorum fugam capiunt, aſylo non gaudent. S. N. LVII.

115.

Jure Auſtriaco ſpeciali nequeunt Clerici conficere teſtamenta aliena, & qui de Clero regulari ſunt, ne teſtium quidem numero defungi in iis poſſunt. S. N. LXI.

116.

Quum porro eccleſia ſemper acquireret, nunquam alienaret, periculumque eſſet, ne omnium immobilium, vel majoris partis domina fieret, unde in rempublicam, cujus intereſt, ut multi fundi ſint in commercio, multum incommodi; in Principes vero ob immunitatem eccleſiaſticam ingens detrimentum redundaret: cum in multis regnis, tum in terris hæreditariis auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ, lex amortiſationis lata fuit, qua novæ immobilium acquiſitio-

fitiones communitatibus ecclefiafticis interdictæ funt, nifi Rex fpeciatim acquirendi poteftatem faciat; quam haud facit, nifi amortifationis jus eidem fit præftitum, id eft, folutum certum pretium de prædio, quod devenit in manus mortuas. S. N. LXIV.

117.

De acquifitione etiam mobilium per terras hæreditarias Auftriacas peculiariter fancitum, ut clauftra regularium ab iis, qui per vota folemnia fefe illis mancipant, ultra Summam 1500 fl. acquirere nihil poffint. S. N. LXV.

118.

Confenfus Principis ad validam alienationem vel maxime requiritnr, tanquam Protectoris ecclefiarum, & fupremi Infpectoris in republica. S. N. LXVII.

119.

Quum primis Eccleſiæ fæculis arbitrio fidelium relictum effet, quid, quantumve fymbolæ conferre ad fuftentationem miniſterii facri quisque vellet, ineunte fæculo IV. Patres hortari fideles

cœpere, ut exemplo Reipublicæ Judaicæ decimas divinarum rerum ministris persolverent. Hortatibus leges dein additæ; ecclesiasticæ primum sæculo VI. ac civiles etiam sæculo VIII. a Carolo M., quin imo jure plane divino decimas deberi, sequentibus sæculis putabatur. S. N. LXXI.

120.

Inde porro creditum: causas decimarum omnes ad forum pertinere ecclesiasticum, remque hanc totam ex legibus potestatis ecclesiasticæ, maxime Pontificis esse dirigendam. Unde tot Rescripta Pontificum in causis decimarum, collectioni Decretalium Gregorii IX. inserta. S. N. LXXII.

121.

Hodie eliquati satis juris est, decimas jure divino non deberi, etsi sustentatio congrua ministris ecclesiæ debeatur, quum nihil æquius, quam ut qui aliorum ministerio se dedit, ab iisdem etiam sustentetur. S. N. LXXIII.

122.

122.

Penduntur tamen hodienum decimæ in locis non paucis, ex consuetudine pia Principum voluntate sustentata; quorum ea sane est auctoritas; ut si reipublicæ salus poscceret, decimarum usum omnino tollere, atque in ejus locum surrogare alium modum possent, quo congrua sustentatio suppeditaretur Clericis. S. N. LXXIV.

123.

Quare etiam causæ decimarum ad judicem civilem tam in Bohemia, quam in Austria pertinent. S. N. LXXV.

124.

Cum forum sit locus exercendæ jurisdictionis, quousque forum ecclesiasticum sese jure suo primigenio, & quousque jure adventitio exporrigat, facile intelligitur. S. N. LXXIX.

125.

Fori autem ecclesiastici privilegium largitate Principum clericis concessum, quum olim ad omnes clericos, qui tonsuram haberent, extenderetur, restri-

ctum illud demum ſanctione ſynodi Tridentinæ ita eſt, ut fori privilegio non gaudeant clerici prima tonſura initiati, aut etiam in minoribus ordinibus conſtituti, niſi beneficium eccleſiaſticum habeant, aut clericalem habitum & tonſuram deferentes alicui eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviant, vel in ſeminario Clericorum aut in aliqua ſchola vel univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendos verſentur. Trident. ſeſſ. 23. c. 6. de reform. s. N. LXXX.

126.

Juri puniendi ſicut omnia Eccleſiæ membra ſubjacent: ita cum per illud nihil imminuta ſit poteſtas puniendi civilis Principum, manebant huic ſubjecti etiam Clerici. Sed favore & reverentia Religionis, a foro Reipublicæ criminali Clericos exemtos voluere Principes, cauſis Clericorum criminalibus diſcuſſioni eccleſiaſticæ relictis. S. N. LXXXVIII.

127.

Jus cogendi porro & puniendi Ecclesia inflictione censurarum exercet. Censuræ ergo in plurium vel paucio-rum bonorum spiritualium privatione consistunt, quarum maxima, & quæ omnibus his bonis privat, excommunicatio major audit. Cæteræ quibusdam tantum bonis privant, & sunt: Excommunicatio minor, interdictum, suspensio. S. N. XCIII, XCIV, XCV.

128.

Effectibus Excommunicationis spiritualibus additi subin etiam civiles sunt; unde Principum circa Excommunicationem jura quædam orta, quæ tamen scopo spirituali non posse repugnare, facile quivis intelliget. S. N. XCVI.

129.

Quibus usa Augustiss. Imperatr. Maria Theresia anno 1768. præcepit, ut causa percussionis Clerici, cui jure canonico pœna Excommunicationis annexa est, a Commissariis ecclesiasticis, & sæcularibus pari numero discutiatur,

ante

ante ſententiæ tamen incurſæ excommunicationis executionem, tam in hoc, quam in aliis caſibus, Placetum, ſeu conſenſus regius exquiratur. S. N. XCVII.

130.

Vulgatiſſima hodie, ac frequentiſſima eſt excommunicatio, quam latæ ſententiæ dicimus; cujus tamen per novem Eccleſiæ ſæcula, imo in ipſo Gratiani Decreto vix ullum veſtigium. Nempe monitionum vicem, quæ alias præmittebantur, lex ipſa, cui excommunicatio latæ ſententiæ inſerta eſt, ſubire creditur. S. N. XCVIII.

O. A. M. D. V. M. H. & G.

Emendatio præcipuorum ERRORVM.

	Errata.	*Corrige.*
Pag. 16	exagerandæ	exaggerandæ
—	moliſſimos	molliſſimos
24	fauſtus	faſtus
25	erubeſant	erubeſcant.
28	arbitrion	arbitrio
31	depræcipue	præcipue
—	aggreſſures	aggreſſores
—	profacto	profecto
32	præſcriptà,	præſcripta, &
—	debita	dictata
34	inereſt	intereſt
38	conceſia	conceſſa
44	judicare	judicare
47	inprimis hunc	inprimis, qui hunc
52	Cunſtantinus	Conſtantinus.
56	potèſtatemquè	poteſtatemque
59	docrevit	decrevit
61	ani reputans	animo repurans
64	deducuit	deducit
66	conſtiſutos	conſtitutos
69	verbum N. L.	verum N. L.
86	Rex chriſtiana	Rex chriſtiane
94	Petavum	Petavium
102	pratulit	prætulit
112	trajecturam	trajecturum
114	conatam	conlatam
—	conimant	conlimant
117	profanam ſolum	profanam poteſtatem ſolum

	Errata.	*Corrige.*
Pag. 118	conſpiraute	conſpirante
—	regium	regum
122	alios vero	aliis vero
127	Tychium	Tychicum
129	propoſiita	propoſita
130	Theſſalonien-ſium	Theſſalonicenſium
—	omnes electio-nes	omnes
132	Zouaras	Zonaras
133	mutare	mutuare
138	liberum capi-tulum	liberam capitulo
—	hetreditario	hæreditario
—	Würwein	Würdtwein
139	compluribus eccleſiæ	compluribus Eccleſiis
145	quopue	quoque
149	Joannas VIII.	Joannes VIII.
—	præbeibmus	præbebimus
151	conſtitutio	conſtituto
—	eo ferre modo	eo fere modo
154	alveo immiſa	alveo immiſſa
165	Petri ſuavis	Petri Soavis
167	fideatur	videatur
—	oriantal.	oriental.
168	teſtante Hiero-nymus	teſtante *Hieronymo*
172	ſapides	lapides
175	conationem ſuæ jnrisdi-ctionis	conlationem ſuæ jurisdi-ctionis

Cæteros errores & interpunctiones male poſitas benevolus Lector corrigat.

C. XIV. 6 C 25

C. XIV. 6 C 25